



SUPERL. B 61059/B





A C T A

INSTITUTI CLINICI  
CAESAREAE UNIVERSITATIS  
VILNENSIS

A U C T O R E

J O S E P H O F R A N K

AUGUSTISSIMO IMPERATORI ET TOTIUS RUSSIAE AUTOCRATORI A CONSILIIS AULICIS, EQUITE ORD. ST. WLODIMIR IV. CLASS. THERAPIAE SPECIALIS ET CLINICES IN CAESAREA UNIVERSITATE VILNENSI PROFESSORE, AC SEMINARII MED. IMPERATORIS MUNIFICENTIA CONDITI PRAEFECTO, CONSILII MED. PETROPOLITANI SOCIO, SOCIETATUM PHILANTHROPICAE PETROPOLITANAЕ, PHYSICO-MEDICAE MOSQUENSIS, MEDICORUM ET BENEFICORUM VILNENSIS, COLLEGII MEDICORUM VENETI, SOCIETATIS AGRICULTURAЕ STUDIOSORUM FLORENTINAE, SCIENTIARUM ET ARTIUM ARGENTORATENSIS, ACADEMIAE MEDICAE, SOCIETATUM GALVANICAE AC MEDICAE PARISINAЕ, R. JENNERIANAE, MEDICORUM ET NO-SOCOMII A GUYO LONDINI NOMEN HABENTIS, MEDICO-CHIRURGIC. FACULTATIS LUCCENSIS  
SODALI etc. etc.


---

ANNUS TERTIUS, QUARTUS, QUINTUS ET SEXTUS.

---

LIPSIAE, 1812

IMPENSIS BIBLIOPOLII KÜHNIANI.



VIRO ILLUSTRI CELEBERRIMO

LIBERO BARONI

JOAN. NIC. CORVISART


AUGUSTISSIMI FRANCORUM IMPERATORIS REGIS ET  
ITALIAE, ARCHIATRO, EQUITUM LEGIONIS HONORA-  
RIA E TRIBUNO, DOCTRINARUM, LITTERARUM, ARTIUM  
INSTITUTI FRANCO-GALICI ACADEMIA-  
RUMQUE COMPLURIUM COLLEGAE  
SODALI

ACTORUM CLINICORUM HOC VOLUMEN

OBSERVANTIAE ANIMI VOLUNTATISQUE PROPENSISSI-  
MAE PIGNUS AC MONUMENTUM

S A C R U M   E S S E   V U L T

A U C T O R



---

## I N T R O D U C T I O.

---

Actorum clinicorum duo priora, quae in lucem emisimus, volumina quo blandius ac benignius a Viris doctissimis haud unius populi excepta fuere; eo acriori studio incepti operis non solum continuandi, sed pro viribus etiam perficiendi incensos nos esse haud diffitemur. At quum in clinico instituto quocunque, nisi quod forte, magni cujusdam nosocomii pars, morbis tantummodo rario-ribus curandis inservit, unius anni spatio, vix tot observationum memoratu digniorum opportunitas detur medico, ut iis, quamvis accurate perscriptis, justum volumen conficiatur: in praesens tempus placuit morbos rariores, quotquot totius quadriennii intervallo, inde a kalendis Septembribus anni cIcIcccviI usque ad pridie kalendas quintiles anni cIcIcccxi,

occurrerunt nobis, seligere et, quantum fieri potest, strictim enarrare. Brevitatis autem studio, quo tenemur, maxime conduceat, quod, quas in sanandis morbis rationes secuti simus, in *praxeos medicae universae paeceptis nostris*, quorum primi voluminis prior pars lucem jam adspexit, tam accurate exposuimus, ut easdem hoc loco retractare et denuo inculcare velle superfluum esset. Ceterum per ipsam hanc scribendi brevitatem, quam, plurium voluntatibus satisfacturi, vel in morborum historiis exponendis adhibuimus, fieri non potuit, quin multa, ad speciem quidem leviora, sed rebus ipsis adjuncta, silentio praeteriremus, quorum mentionem alii fortasse desideraverint. Enimvero diversorum diversae voluntati parere, nec facile et paene irritum incepsum est.

Legentibus haec fartasse succurret, quod in actorum secundo volumine scripsimus, bello tum ad Lithuaniae confinia flagrante, clinicum Vilnense in nosocomium militare commutatum fuisse. Pace tamen composita in pristinam rediit formam. Ab hoc inde tempore, quam parum stabiles sint vulgi opiniones temere conceptae, novo eodemque

luculento argumento cognovimus. Cum enim, sub ipso clinici instituti primordio, ab illo valde abhorreret populus, tam brevi paucorum annorum interjecto spatio, tanta voluntatis varietas et dissimilitudo opinionis consecuta est, ut aegrotorum affluentia ne eo quidem imminueretur aut a proposito suo deterreretur, quod plerumque ii tantum recipiantur, qui morbis paene conclamatis laborent iisdemque propter futuram cadaverum sectionem maxime memorabilibus \*). Morborum certe census sive tabula, quam hic subiecimus, pariter atque ipsae, quas tradendas duximus, observationes abunde docebunt, in aegrotorum in clinicum admittendorum delectu faciendo id solummodo spectari, ut discentium major fiat profectus.

\*) Cadaverum sectiones, hominum in clinico instituto demortuorum, cum summa dexteritate, ab egregio viro, D. Holz, universitatis nostrae adjuncto, et prosecitore anatomico, ultro institui solent.

<i>Character morborum.</i>	sus-cepti.	sana-ti.	suble-vati.	trans-lati.	mor-tui.
Febres intermittentes . . .	69	68	1	—	—
Febres typhodes . . .	39	32	—	—	7
Febres gastricae . . .	6	6	—	—	—
Febres sive catarrhales sive rheumaticae . . .	97	83	8	—	6
Erysipelas . . . .	36	34	—	1	1
Rheumatismi acuti . . .	12	12	—	—	—
Scarlatina . . . .	25	24	—	—	1
Morbilli . . . . .	7	7	—	—	—
Variolae . . . . .	9	7	—	—	2
Varicella . . . . .	2	2	—	—	—
Chloasma . . . . .	1	1	—	—	—
Morbus maculosus Werlhofii . . . . .	1	—	—	—	1
Erythema mercuriale . . .	2	2	—	—	—
Crusta lactea . . . .	1	1	—	—	—
Tinea capitidis . . . .	1	1	—	—	—
Psora . . . . .	4	1	—	3	—
Herpes . . . . .	1	1	—	—	—
Lepra squamosa . . . .	1	—	—	1	—
Plica . . . . .	4	1	—	3	—
Anasarca . . . . .	6	5	—	—	1
Anaesthesia . . . . .	1	1	—	—	—
Ophthalmritis . . . . .	5	4	1	—	—
Amaurosis incipiens . . .	1	—	1	—	—
Obscuratio cornea . . .	2	—	2	—	—
Otalgia . . . . .	3	2	1	—	—
Alalia . . . . .	1	—	1	—	—
Epistaxis . . . . .	5	5	—	—	—
Spasmus faciei . . . .	1	1	—	—	—
Cephalalgia . . . . .	3	2	1	—	—
Hemicrania . . . . .	1	1	—	—	—
Encephalitis . . . . .	1	1	—	—	—
Hydrocephalus acutus . .	3	1	—	—	2
Hydrocephalus chronicus	1	—	—	1	—
Apoplexia . . . . .	2	—	—	1	1
Asphyxia ex fumo carbonum . . . . .	4	3	—	—	1
Lipothymia . . . . .	1	1	—	—	—
Melancholia . . . . .	2	1	—	1	—

<i>Character morborum.</i>	sus-cepti.	sana-ti.	suble-vati.	trans-latii.	mor-tui.
Mania . . . . .	3	I	I	I	
Chorea St. Viti . . . . .	I	I	—	—	
Epilepsia . . . . .	4	I	I	2	
Convulsiones . . . . .	2	I	I	—	
Hysteria . . . . .	5	4	I	—	
Hypochondriasis . . . . .	3	I	2	—	
Hemiplegia . . . . .	I	—	—	—	1
Paralysis extremitatum in- feriorum . . . . .	I	—	—	1	
Angina pectoris . . . . .	I	I	—	1	
Polypus cordis . . . . .	I	—	—	—	1
Angina trachealis . . . . .	2	I	—	—	1
Phthisis trachealis . . . . .	2	—	—	—	2
Peripneumonia . . . . .	21	15	—	—	6
Pneumonorrhagia . . . . .	3	I	I	—	1
Phthisis pulmonalis . . . . .	19	I	7	2	9
Catarrhus chronicus . . . . .	2	I	I	—	
Tussis convulsiva . . . . .	6	5	—	—	1
Hydrothorax . . . . .	7	3	I	I	2
Contusio pectoris . . . . .	2	2	—	—	
Cynanche faucium . . . . .	12	12	—	—	
Dysphagia . . . . .	2	2	—	—	
Vomitus . . . . .	2	2	—	—	
Cardialgia . . . . .	2	2	—	—	
Hernia incarcérata . . . . .	I	I	—	—	
Colica . . . . .	3	3	—	—	
Enteritis . . . . .	I	—	—	—	1
Diarrhoea . . . . .	6	5	—	—	1
Dysenteria . . . . .	2	—	—	I	1
Ascarides lumbricoides . . . . .	I	I	—	—	
Taenia lata . . . . .	I	I	I	—	
Hydrops ascites . . . . .	4	I	I	—	2
Peritonitis . . . . .	3	3	—	—	
Tumor omenti . . . . .	I	—	—	I	
Hepatitis . . . . .	2	I	—	—	1
Abscessus hepatis . . . . .	I	I	—	—	1
Obstructio hepatis . . . . .	2	I	I	—	
Icterus . . . . .	10	7	2	—	I
Obstructio lienis . . . . .	I	I	—	—	
Splenitis . . . . .	I	I	—	—	

<i>Character morborum.</i>	us- cepti.	sana- ti.	suble- vati.	trans- lati.	mor- tui.
Scorbutus . . . . .	3	3	—	—	—
Arthritis . . . . .	5	2	3	—	—
Scrophula . . . . .	2	1	1	—	—
Tabes . . . . .	4	—	2	—	2
Lumbago . . . . .	1	1	—	—	—
Phthisis renalis . . . . .	1	—	1	—	—
Diabetes . . . . .	2	—	—	2	—
Polydipsia . . . . .	1	—	—	1	—
Stranguria . . . . .	1	1	—	—	—
Calculus vesicae urinariae	1	—	—	1	—
Epididymitis . . . . .	1	1	—	—	—
Induratio testiculi . . . . .	1	1	—	—	—
Chlorosis . . . . .	2	1	1	—	—
Puerperium . . . . .	5	5	—	—	—
Metritis . . . . .	1	1	—	—	—
Metrorrhagia . . . . .	6	6	—	—	—
Steatoma uteri . . . . .	1	—	1	—	—
Retroversio uteri gravi	1	—	—	—	1
Hydrops ovarii . . . . .	2	—	1	—	1
Scirrhous ovarii . . . . .	1	—	1	—	—
Gangraena sicca pedis .	1	—	—	—	1
Lues . . . . .	14	8	3	3	—
Ulcera antiqua . . . . .	4	1	1	2	—
<i>Summa</i>	566	424	53	29	60

Praeter morbos, quos in censum modo retulimus, extremi etiam quadriennii spatio, aegrotorum plus mille curam agere licuit medicorum disciplinae alumnis in clinico, quod societatis beneficorum sumtibus sustentatur: ex quo negotio magna illorum pars, quae ei sponte operam dabat, maximos cepit fructus. Etenim indies magis magisque ad hanc opinionem ipse me confirmo, nosocomia clinica

ad erudiendos instituendosque medicae artis studiosos vix sufficere, nisi iis, certe scientia proiectioribus, aegros per urbem visitandi affatim copia detur. Aegrotorum enim in nosocomiis cura a praxi, ut ita dicam, urbana tantopere differt, ut alterius vel peritissimi ad alteram parum idonei videantur, donec assiduitate quotidiana etiam huic adsuescant. Quo simul efficitur, neque in solis urbanis clinicis omnem spem collocandam, et tutissimam institutionis medicae viam habendam esse, quae utroque instituto utatur. In priore illo, urbanum dico, *infantum morbos observandi occasio maxime erit aperienda; quorum quidem cura sane nihil est, quod medicum in artis hujus studio magis exerceat, quod ejus ingenium ad subtilius de morbo judicium feren- dum magis acuat, quod in prognosi eum cau- tiorem reddat, quod denique indicationum, systematis cuiusdam hypothesibus fultarum, fallacias melius detegat et aperiat.*

Quae cum ita sint, discipulis meis morbos, quos dixi, frequentius observandi facultatem oblatus, duorum institutorum medico-philanthropicorum, *vaccinationis et puerperii, condendorum auctor fui, quorum illud a. d.*

xvi. Kal. Junias (17 Mai), ipsis *Jenneri*, viri  
 immortalis, natalitiis sacris anniversariis, a.  
 cœloccviii a me inaugratum est, hoc a. d.  
 vii. Idus Novembres a. cœlocccix auspicatus  
 sum. Et vaccinationis quidem institutum suis  
 reditibus sustentatur, collatis ab opulentiori-  
 bus, qui *vaccinium*, quod dicitur, sibi parare  
 cupiunt, muneribus, quae in vaccinandorum  
 liberorum parentes egenos pro re nata distri-  
 buuntur. Alterius autem instituti, cuius bene-  
 ficio puerperae ex summa inopia laborantes  
 domi sublevantur, sumtus necessarios sug-  
 gerunt matres familias Vilnenses, auspiciis  
 matronae generosissimae nobilissimaeque,  
*Mariae L. B. a Bennigsen*, quae quidem  
 humanitatis pariter atque artis seminaria, pri-  
 vatorum hominum maxime liberalitate susten-  
 tata ideoque Lithuanorum et virtutis et beni-  
 gnitatis et prudentiae maxima documenta,  
 numen propitium utinam tueatur, ne, quod  
 vehementer timendum est, his temporibus dif-  
 ficillimis magnum aliquod detrimentum capiant!  
 Vix enim unquam in summis occupationibus,  
 quibus institutorum horum cura me implicat,  
 plura hominum adminicula nactus sum, quam  
 in praesentia, stipatus nimirum medicis, qui,

tirocinio posito, arte salutifera miseris succurrere gestiunt. Inter quos honoris caussā nomino virum egregium, *Herberski M. D.*, ne de aliis loquar, praesertim de seminarii medico-chirurgici, *Summi Imperatoris* auctoritate et munificentia in academia nostra stabiliti, sodalibus.

Cujus seminarii quum summa conjunctio ac necessitudo cum clinico sit instituto, cuius acta scribimus, haud abs re videtur; pauca hic de illius origine ac condendi ratione et consilio subjungere. Etenim medicorum per Imperium Rossicum maximaē penuriae consulturus, rei medicae et studiorum summis apud nos Moderatoribus auctor fui, ut quinquaginta juvenum, intra fines Imperii Rossici e Polonorum gente electorum, qui Imperatoris sumtu in Academia Caesarea Vilnensi arti medico-chirurgicae addiscendae operam darent, constitueretur sodalitas. Annuit rogationi *Caesar*, cuius summae auctoritati eam subjecerat rationum Imperii internarum tunc temporis minister, vir meritis gravissimus ac sempiterna colendus memoria, Comes Illustrissimus, *Victorius a Kotschubey*. In sodalium numerum non adscribuntur, nisi ii, qui in gymnasio-

rum aliquo (octo autem instituta sunt in totidem praefecturis Poloniae Rossicae) studiorum curricula non sine laude emensi sunt. In academia lectionum medico - chirurgicarum cursus quatuor vel quinque annorum spatio absolvitur. Quo confecto, quum, severiter exploratis quantum profecerint, suus cuique honor et gradus academicus ex merito redditus est \*), unius anni tempus praxi medicae in magno quodam aegrotorum hospitio impendere tenentur. Tum demum ad medici et chirurgi munera obeunda, sive castrenia penes exercitus terrestres vel navales, sive in praefecturis inter togatos dimittuntur. In quo officio praestando septem annos continuos exigant, legibus cautum est. Quibus exactis cuique liberum arbitrium permittitur aut perseverandi initum honoris cursum, aut artem, ubi libuerit, exercendi. Haec habebam fere, quae de seminario hoc medico - chirurgico lectores meos scire vellem. Nam quae plura fortasse his adjici possent, aliis relinquere malebam.

Ad rem ipsam igitur aggrediamur, praे-

\* ) Gradus academicci apud nos sunt sequentes. Medicus; Doctor medicinae; medico - chirurgus; Doctor medicinae et chirurgiae.

missis ex more tabulis meteorologicis, quos humanitati Ill. *Joannis Sniadecki*, astronomi observatoris rectorisque hujus universitatis debemus. Eas autem ad calendarium Romanum accommodatas esse, contra in morborum historiis dies ad vetus calendarium Julianum, duodecim dierum moram inducens, notatos esse scito.

---

## I N D E X.

---

### Tabulae meteorologicae quatuor.

CAP. I. Febres intermittentes . . . . .	pag. 1
— II. — typhodes . . . . .	— 3
— III. Morbilli, Variolae, Scarlatina . . . . .	— 15
— IV. Erysipelas. Zoster . . . . .	— 18
— V. Erythema mercuriale . . . . .	— 22
— VI. Lepra. Plica Polonica . . . . .	— 29
— VII. Morbus maculosus haemorrhagicus Werlhofii . . . . .	— 40
— VIII. Epistaxis . . . . .	— 43
— IX. Hydrocephalus acutus . . . . .	— 44
— X. Epilepsia. Chorea St. Viti. Melan- cholia . . . . .	— 49
— XI. Angina laryngea . . . . .	— 55
— XII. Angina pectoris. Polypus cordis . .	— 73
— XIII. Phthisis pulmonalis . . . . .	— 82
— XIV. Dysphagia . . . . .	— 85
— XV. Cardialgia. Vomitus . . . . .	— 87
— XVI. Hepatitis. Icterus . . . . .	— 89
— XVII. Diabetes . . . . .	— 92
— XVIII. Polydipsia . . . . .	— 106
— XIX. Retroversio uteri gravidi . . . . .	— 108
Appendix . . . . .	— 109

---

## C A P U T I.

*Febres intermitentes.*

Quo primum Vilnam veneram, medici hujus urbis uno ore fatebantur, febres intermitentes hic sat raro obvenire. Rem jam anno MDCCCVII aliter se habuisse, ex secundo hujus operis volumine apparet \*). Ab eo tempore ad hanc usque diem copia febrium intermitentium quovis anno augebatur, et ita quidem, ut, a mense Martio usque ad mensem Septembrem, communissimum sisterent morbum. Caussam hujusmodi phaenomeni investigans, nullam aliam, quae probabilitatis saltem notam offerret, detegere potui, nisi resectionem nemorum prope urbem. Fieri enim ita videtur, ut effluvia paludum, olim in centro sylvarum reclusa, nunc facilius ad urbem perveniant.

Febres nostrae intermitentes plerumque typum sequuntur tertianae, sive simplicis sive duplicitis. Occurrit frequenter et quotidiana, aliis in regionibus permultis admodum rara. Contra ea nullam hucusque quartanam Vilnae conspexi. Et subcontinuae haud saepe obveniunt.

\*) Cap. IV.

Indoles febrium intermittentium hic regnantium benigna. De perniciosis quidem non raro loqui audivi, ipse vero eas nunquam in Lithuania vidi. Multi sane nomine febris perniciose abuti solent.

Raro tandem febres intermittentes naturae ita simplicis apud nos observantur, ut mox cinchonae vel alii febrifugo locus esse possit. Plerumque enim gastrici et quidem saepe verminosi quid offerunt. Nil igitur mirum, egregios quotidie hoc in morbo effectus ab emeticis et purgantibus cerni. Hujusmodi remedia vel febrem extemplo auferre, vel eam saltem multum infringere solent. Infringunt enim hinc inde ita, ut forma febrilis fere evanescat, relata sola debilitate, typum tamen pristinae adhuc febris servante, et non nisi cortice profliganda. Quid de hoc divo remedio sentiam, abunde alio loco \* exposui. Ac revera omnia in clinico nostro cum remediis surrogatis nuper laudatis tentata pericula plus minusve spem frustrarunt. *Arsenicum* quidem raro, ut jam dictum est \*\*), adhibuimus; adhibuimus tamen non ita pridem, et non sine omni rerum successu. In genere vero medici Lithuaniae huic remedio haud multum favent. Abhorret ab eo vel vulgus. A temporibus enim immemorabilibus arsenicum a Judaeis et agyrtis adversus febres intermittentes in Lithuania adhibebatur. Quin immo: compertum est mihi, certa amuleta, St. Virginis imagine instructa, quorum usui interno vulgus magnam tribuit

\*) Praxeos medicae universae praecepta. Part. I.

§. XXX. No. 12. p. 61.

\*\*) L. c. No. 32, p. 78.

virtutem antifebrilem, eam ex solutione arsenici, qua imbūuntur, repetere.

Et *fabae cofeae arabicae*, et *nuclei amari amygdali communis*, et *cortex fructus punici granati*, et *cortex pruni padi*, &c. in clinico nostro effectu fere destituebantur. Nutui autem vix non semper respondebat *residuum corticis cinchonae officinalis* \*), atque paucae illi rebelles febres et optimo cortice non sine difficultate sanabantur.

---

## C A P U T II.

### F e b r e s t y p h o d e s .

---

**S**uppressis permultis nosocomiis militaribus Vilnae, tempore ultimi belli Gallici, inter ipsas civium habitationes erectis, atque cessante incauta militum aegrotantium transportatione, febris typhodes acuta, vulgo typhus, extemplo hic evanuit. Solum excipi debet typhus, inter nonnullos discipulos egenos mense Martio et Aprilii anni MDCCCX observatus. Erat ille nequaquam malignus, atque ad unam domum, angustam nimis, limitatus. Moderatores sane Universitatum et Gymnasiorum non satis curae circa habitationes alumnorum, nec non circa morbos, inter eos sese manifestantes, impendere possunt. Pulcerrimum coram oculis illis est hac in re exemplum, eminentis Gymnasii

*Krzeminec*, cuius auctor et exactor egregius, excellentissimus Comes *Czacki*, prope Gymnasium consulto medicum constituit, atque optimas politiae medicae leges, ad tuendam discipulorum valetudinem, praescripsit. Vilnae eo facilius est sanitati civium studere, et prae-primis typhi flagellum antevertere, quum constitutio atmosphaerae nostrae febribus hujuscemodi ita obstet, ut nonnisi pessumdati cunctis adversus contagii propagationem regulis, caput quodammodo attollere queant. Hoc ultimo adeo anno, (probabiliter simul ob minus pretium, quo res ad vitam sustentandam necessariae constabant), typhus tam raro occurrebat, ut vel necessaria pro clinico instituto illius exemplaria desiderarentur. Obvenit tamen unum ex iis memoratu dignum.

*Observatio.* Juvenis floridus, septendecim annorum die prima Junii MDCCCXI ad clinicum deportatus est, typho laborans, insignitus magna virium prostratione, calore urente, siti inexplicibili, cute rubra, oculis splendentibus, summa cephalaea, epistaxi, peticulis, pulsu ad 110, duro, nec non delirio horis nocturnis. *Decima erat morbi dies.* Instituebatur nihilominus secunda quavis hora adspersio totius corporis aqua frigida, praescribendo pro uso interno aquam glacialem cum acido sulphurico et syrupo violarum q. s. ad gratum saporem. *Die 11 morbi.* Quinquies instituta adspersione aeger obdormivit. Mussitavit autem sub somno. Calor cutis et capitis dolor longe imminuti; pulsus idem, vires instauratae. Seposita adspersione, continuetur in acido sulphurico. Ita diebus 12. 13. 14. morbi, qua ultima die,

praeviis subsultibus tendinum, tandem somnus per duo nychthemera protractus, febri finem feliciter imposuit.

*Epicrisis.* Docet praecipue casus praesens, adspersionem sive lotionem cum aqua frigida, non solum in *recenti typho*, sed *vel proiecto morbo* institui posse, dum ea caeterum indicata est. Adspersionem vero hic indicatam fuisse, ex symptomatibus elucet, imaginem genuinae *febris ardentis* sive *causi veterum* exhibentibus. Praeterea adspersionem, de qua sermo, indicabat potissimum sub allata rerum positione aestatis temperies, tunc temporis ad 27 gr. thermometri Reaumuriani.

Eodem die, quo juvenis, cuius tradidimus historiam, in clinicum venerat, vel alias aegrotus afferebatur, *simili* fere morbo, si ex adspectu judicium tuleris, laborans. Liceat et illius exponere historiam.

*Observatio.* Vir quadraginta annorum, robustus, liquoribus fermentatis deditus, instituta peregrinatione sacra sub urentibus radiis solaribus, vix domum redux vehementer horruit, subsequente aestu totius corporis cum dira cephalaea et vomitu. Altera die delirium ferox accessit, quo vigente fugam dedit, atque per urbem vagatus est. Domum deportato chirurgus parvam venae sectionem in pede cum levamine instituit, applicitis dein vesicatoriis ad suras. At paulo post symptomata iterum recruduere, ita ut aeger die sexta morbi, prima Junii, sub sequenti rerum positione ad clinicum delatus fuerit. Facies rubra, sudore cooperta, oculi feroces, rubri, splendentes; delirium cum risu quasi sardonico. Suscitatus

iterumque suscitatus, ut sedem doloris indicaret, manum capiti admovebat. Manus tremulae, captatio floccorum, pulsus inconstans, 116; sitis magna, lingua carnis crudae instar, hypochondria tensa, alvus clausa, urina ignea. Declaratur morbus pro *encephalitide*, atque quatuordecim hirudines tum retro aures, tum ad tempora, tumque ad angulum internum oculi admoventur, exhibito interne sero lactis tamarindinato cum nitrate potassae, non neglecta applicatione glaciei, vesica porcina contentae, super caput, injectoque clystere antiphlogistico. *Die 2. ingressus, 7. morbi.* Nox continuis deliriis perturbata; facies melior, pulsus 104, color minor. Respondet quaestionibus, dummodo viriliter institutis. Alvus septies liquide deposita. Continuetur fomentatio capitinis, caeterum nil nisi aquam habeat fontis, cum syrupo vaccinii oxycocci. *Die 8. morbi.* Dormivit noctu, aeger fere mente compos, pulsus mollis, constans, 100; lingua albo muco obiecta, sitis pauca, alvus ter mota, abdomen molle sed tumidum et attactum ad hypochondrium dextrum respuens. Removeatur fomentum frigidum a capite, applicenturque abdomini herbae aromaticae sub forma cataplasmatis calidi. Caetera continentur. *Die 9.* Noctu dormivit alternatim et deliravit. Pulsus 96; alvus quinquies mota, caeterum sat bene se habet. Ita morbus sine pharmaciis ad diem duodecimam usque decrevit, qua die convalescentiae periodus inceperat. Sub ea multum adhuc a vesicatoriis foras applicitis et neglectis perpessus est. Exiit sanguis ultimis Junii diebus.

*Epicrisis.* En *encephalitidem*, quam facile fuisset cum *typho* confundere. Confusio nem hujusmodi truculentam hodie dum haud raram esse, tristis docet quotidiana experientia. Quin immo, opinio nuper a cl. *Marcus* tradita \*), caussam proximam typhi sistere inflammationem cerebri, huic confusione omnino inniti videtur. Quamquam enim inficias non ibo, in febribus typhodibus provectis posse vel cerebrum, aliorum viscerum instar, erysipela cea interdum inflammatione obduci, in ea tamen opinione firme versor, *primariam atque genuinam encephalitidem, toto coelo a typho differre.* Ut fundamentum, cui haec opinio superstruitur, magis magisque palam fiat; juvabit utrosque morbos inter se invicem comparare.

*Typhus.*

1. Plerumque a contagio oritur.
2. Rarissime aliter ingruit, nisi praeviis consuetis symptomatis prodromis febrium.
3. Levis horror scenam aperit, vel frigus omnino desideratur.
4. Capitis dolor plerumque obtusus si ve gravativus.

*Encephalitis.*

1. Nunquam a contagio originem trahit.
2. Extemplo hominem aggreditur.
3. A frigore ut plurimum conspicuo or ditur.
4. Intolerabilis cephalaea.

\*) *Ephemeriden* B. 1. Heft 1. sq.

*Typhus.*

5. Virium jactura magna, saltem motuum voluntariorum imbecillitas.
6. Delirium solum sub decursu morbi, saepissime tacitum.
7. Plerumque peticulae, ecchymomata, vibices, miliaria &c.
8. Autopsia cadaveris parum notatu dignum exhibet.

*Encephalitis.*

5. Vires taurinae, in ipsis motibus voluntariis, (saltem apud adultos).
6. Delirium jam ab initio morbi, saepissime furiosum, (saltem apud adultos).
7. Plerumque nulla exanthemata.
8. Autopsia cadaveris conspicuas sequelas inflammationis offert.

Quodvis ex recensitis signis diagnosticis typhi et encephalitidis separatim consideratum, exceptiones sane non paucas agnoscit; at omnia simul sumta, vix errori locum concedunt.

Si febris typhodes acuta, uti supra monui, raro hisce ultimis annis apud nos observata fuerit, contrarium de iis febribus indolis typhodis dicendum, quae originem ex febribus catarrhalibus neglectis aut male curatis desumunt, quaeque re ipsa nil aliud nisi febrem catarrhalem typhodem constituunt. Morbus hic Vilnae saepe catastrophicus est, praeprimis tempore vernali et autumnali. Grassabatur epidemice initio hyemis MDCCCVII. Hoc ipso

tempore non raro *febris typhodes lenta*, vulgo *febris nervosa Huxhami* in conspectum venerat. Juvabit quatuor hūjusmodi morborum observationes ex clinico instituto, unamque ex praxi privata, non neglecta eorum epicrisi, in medium afferre.

*Observatio I.* Floridus puer quindecim annorum, iter sub humida frigidaque tempestate instituens, in febrem catarrhalem, uti videtur, incidit, quam ad octavam diem usque negligere coactus fuit. Hac ipsa autem die, prima scilicet Octobris MDCCCVII ad clinicum recipiebatur. Praecipua febris typhodis symptomata cum magna pectoris affectione in conspectum veniebant, inter alia magna virium deiectio, subsultus tendinum, deliria, inscia alvina dejectio. Confugimus sensim sensimque ad radicem angelicae archangelicae, ad flores arnicae montanae, ad camphoram, ad vesicatoria &c. atque morbus curriculum suum sat bene percurrere et circa decimum septimum nychthemerum declinare videbatur, cum sequenti nocte ab *atrocissimo dolore ad musculos gemellos cruris sinistri correptus fuerit*. Pars affecta attactum omnino respuebat; at nullum externum vestigium, nisi illud antea adhibiti rubefacientis, exhibuit. Applicuimus loco dolenti cataplasma ex mica panis, lacte, et croco. *Die 19. morbi.* Aeger ob doloris atrocitatem desperabundus; vires plus quam unquam fractae. Habeat decoctum corticis cum opio. *Die 20.* Status idem, crus affectum tremit et a digitis usque ad genu fere livet ac marmoris instar friget. Illiniatur parti affectae linimentum ex oleo Hyoscyami,

camphora et opio, non neglecto somento ex herbis aromaticis. *Die 21.* Delirium, subsultus tendinum: cruris status idem. Exhibetur usui interno camphora, opio et moscho nupta. Ab hac die usque ad vigesimam quartam morbi, qua obiit, aeger inter vitam et mortem fluctuabat. Jam secundo ante interitum nycthemero, epidermis a crure affecto cedebat. Secto cadavere musculi gastrocnemii penitus consumpti, atque saccum ichore repletum referentes, superficies vero tendinis Achillis a gangraena correpta detegebantur.

*Observatio II.* Judaea vilnensis viginti circiter annorum mense Aprili MDCCX febre intermittente subcontinua laboravit, quae in continuam, gravi pectoris affectione stipatam, transiit. En illico *atrocissimus ad musculos gemellos cruris dextri dolor*, et altera die symptomata nervosa supernis similia. In consilium vocatus, interitum praedixi. Post non nullos dies revera desperabunda obiit. De cadaveris sectione apud Judaeos polonicos nequicquam est cogitare.

*Observatio III.* Juvenis viginti quatuor annorum, bonae corporis compaginis, initio mensis Februarii MDCCCVIII, a febre catarrhalis prehensus est. Ea in lentam nervosam commutata, aeger die 29 ejusdem mensis clinico committebatur. Symptomata ad pectus, cum pulsu duriusculo adhuc urgebant. Habeat decoctum emolliens cum nitrate potassae. *Die 20. morbi.* Affectio pectoris remisit; pulsus mollis, inconstans. Porrigitur camphora. Vires vero nequaquam eriguntur, noctes sunt insomnes; saepius sudores partiales occur-

runt; ita usque ad diem vigesimam tertiam morbi, qua vehemens ad umbilicalem regionem internus dolor illico accedit. Alvus tamen aperta, lingua pura, humida, urina turbida. *Die 24.* Dolor umbilici, applicitis fomentis calidis evanuit, caeterum status idem usque ad vigesimam sextam morbi. Hac die iterum maximus abdominis dolor surrexit. Mox facies mutabatur, lingua facta est rubra, sicca; pulsus contractus, durus ad 100. Porro alvus clausa; subsultus tendinum; abdomen attatum omnem respuens, non tumidum. Instituitur venae sectio ad uncias decem; applicantur fomentationes emollientes abdomini, et praescribitur emulsio ex mucilagine gummi mimosae niloticae cum oleo amygdalarum et succo inspissato fraxini orni. *Vespere.* Facta venae sectione, dolorum remissio per spatium trium horarum. Sanguis conspicuum offert crustam inflammatoriam. Pulsus minus contractus, debilis, ad 87; subsultus tendinum nulli. Alvus adhuc clausa, dolores recruduere. Repetatur venae sectio ad uncias septem. *Die 27.* Sanguis iterum largo corio pleuritico copertus; alvus clausa; quinques serum ex viridi flavescentia cum totidem ascaridibus lumbricoidibus evomuit. Abdomen summopere tensum et dolens, pulsus exilis, extremitates frigidae, facies hippocratica. Vires necdum valde fractae. Praemitto clystere, balneum exhibetur tepidum, quo facto largum vesicans abdomini imponitur. Oleum amygdalarum recens interne. *Vespere.* A balneo levamen obtinuit. *Die 28.* Status idem. Additur opium oleo, praescribuntur clysteres ex ferula assa

foetida, et reiteratur balneum. *Die 29.* Aeger praevio singultu moritur. *Sectio cadaveris.* Aperto abdomine aliquot unciae materie pueriformis in conspectum venerunt. Peritoneum, in specie omentum et intestina crassa, vehementer inflammata. Includebant ea quinque ascarides lumbricoides. Caetera in singulis cavitatibus normalia.

*Observatio IV.* Adolescens valetudinarius, quamvis floridus, peracto diurno atque incommodo itinere, die morbi quinta, octava mensis Januarii MDCCCLIX gravi febre typhode laborans ad clinicum defertur. Delirium cantu insignitum, oculi feroce, genae profunde rubentes, respiratio difficultis, abdomen tumidum, calor mordax, pulsus 108, debilis. Morbus irritis omnibus auxiliis de die in diem augetur, supervenientibus subsultibus tendinum, suspiriis, anxietate. Ad decimam quintam perductus, alvus deponitur cum multo sanguine atro, coagulato. Decrescunt nunc magis magisque vires, atque delirium mutatur in soporem. Ita jacet per duos dies, alvo clausa. En vero tertio nychthemero nova alvina depositio, *libras sex sanguinis* exhibens. Injiciuntur clysteres ex solutione aluminis; porrigiturque interne aqua lauri cinamomi. *Die 18 morbi.* Quatuor iterum alvinae defecctiones cruentae, sed longe minus copiosae. Pulsus 150. Facies hippocratica. *Die 20.* Moritur aeger, cuius cadaveris sectio impeditur.

*Observatio V.* Vir quadraginta annorum, curis domesticis diu vexatus, jam ab anno circiter secundam amittere incepit valetudinem,

multa phthiseos pulmonalis symptomata exhibens. Supervenit mense Martio MDCCCVI febris catarrhalis, quae tandem in nervosam lentam conversa est. Delato aegro die vigesima secunda Aprilis ad clinicum, eum adeo viribus fractum invenimus, ut vix verbum proferre posset. Adspectus erat misero similis, animam ex conclamata phthisi pulmonali agentis. Exhibito decocto radicis orchidis morionis cum subcarbonate ammoniae empyreumaticae, porrectisque jusculis carneis, aeger de die in diem melius se habebat, ita ut quinta Maii a febre catarrhali typhode omnino restitutus, ac symptomata phthiseos in parvo tantum gradu exhibens, domum petere posset.

*Epicrisis.* Ut Lector *primas duas observationes* cum iis a *Burserio* allatas \*) comparet, enixe rogamus. Operae enim pretii est, exempla hujusmodi *gangraenarum sponte-nearum*, quae aegros interdum in febribus inopinate et sub optimis caeterum auspiciis e medio tollunt, colligere. *Tertiae observatio-nis* aeger multas nobis procreavit angustias, atque dubii adhuc haeremus, an forte salvari potuisset, si major vermium ratio habita, atque altera instituta haud fuisse veneae sectio. *Quarta observatio* casum exhibit, ter a nobis visum; prima vice in saltatore theatri Vindobonensis; secunda in institutore Gallo Vilnae, et tertia in aegro, de quo sermo est. Nullus horum aegrorum convaluit. *Quinta tandem observatio* docet febrem typho-

\*) Institut. Medicinae practicae. Ed. Mediol. t. I.  
p. 138.

dem lentam connubium cum phthisi pulmonali inire posse; et ita quidem, ut periculum in mora, quod recenti morbo tribuendum est, praegresso illi tribuatur. Nulla sane diagnosis difficilior ea febris typhodis lenta, in hominibus aliis morbis jam labefactatis, nam mirum in modum intricantur tunc symptomata. Si quid hic lucem afferre potest, est pristini morbi praeceps nimis et haud expectatum currículum, praesertim inopinatus virium lapsus, nec non notio constitutionis annuae.

Sicuti vero febris lenta nervosa aliis *morbis* interdum supervenire solet, ita et *convalescentiae*, praeprimis illi, quae febres catarrhales sive pleuro-peripneumonias sequitur. Audias, rogo, exemplum.

*Observatio.* Vir quadraginta annorum die 24. Februarii MDCCXI ad clinicum delatus est, gravi pleuro-peripneumonia rheumatico-gastrica laborans. Sexta jam erat neglecti morbi dies. Praescripto decocto radicis althaeæ officinalis cum nitrate potassæ, morbus decima die diarrhoea et sudoribus, nec non urina largo sedimento puriformi instructa solvebatur. Secuta est convalescentia. Hac, ad diem 2. Martii perducta, audivimus a custode, aegrum noctu proprias induisse vestes atque fugam tentasse, quod primum suspicionem somnambulismi excitaverat, quam vero patientis uxor diluit. Propius eum examinando, deteximus pulsum exilem ad 60, extremitates frigidas, sudore viscido coopertas, faciem luridam, oculos fixos, prostrationem virium magnam, quin aliae evacuationes praegressae fuerint, quam modicae illae, quae crisi pristini morbi

constituerunt. Declarabatur hinc morbus pro febre typhode, ac praescriptum est infusum florum arnicæ montanae alternatim cum quatuor granis camphoræ secunda quavis hora; non neglectis jusculis carneis et vino generoso rubro. Sub hac methodo aeger sensim sensimque convaluit, ita ut versus finem mensis xenodochio valediceret.

---

### C A P U T III.

---

*Morbilli, Variolæ, Scarlatina.*

---

**M**orbilli, de quibus in secundo actorum clinicorum volumine sermo fuit \*), circa tempus aequinoctii vernalis anni MDCCCVII extincti fuere. Mense Maio anni sequentis iterum in conspectum venerunt, at sporadice tantum et solum per sex circiter hebdomadas. Ab eo tempore usque ad mensem Maium MDCCCXI nulla amplius de hoc morbo vestigia obveniebant. Hic vero caput de novo attulerunt morbilli et quidem epidemicō modo. Contagium potissimum juvenes, pubertatis epochae proximos, aggrediebatur. Frequens erat vomitus in omnibus morbi stadiis, et semper, ut vidi, cum levamine. In genere indoles morbi erat benigna, sub recta saltem medela. Consistebat vero haec in antiphlogisticis, lenibus purgantibus mixtis, debitaque patientia adhibita, ut

\*) p. 43.

scilicet morbo tempus concederetur, curriculum suum absolvendi. Medici, qui patientes pharmacis obruebant, eo magis detrimentum attulerunt, quo magis illa erant irritantia aut narcotica, quoque maturius porrigeabantur. Quid igitur de formulis cogitandum est, pulvarem Doveri, extractum hyoscyami, atque aeternum illum spiritum Mindereri continentibus atque jam sub stadio invasionis sive eruptionis exhibitis? O bone *Sydenhame!*

De morbillis non desinam loqui, quin dicam, *tussim convulsivam* tempore, de quo in praesenti libro rationem reddo, nunquam simul cum morbillis grassatam esse. Grassabatur autem verno et autumno MDCCCIX. Optimum illi erat remedium infusum foliorum atropae belladonnae, in secundo, id est, convulsivo morbi stadio, consilio egregii Schaefferi porrectum. Nil autem praestitit unguentum *Autenriethii* ex tartritate stibii et potassae cum axungia porcina.

*Rubeola*, quam ita a morbillis distinguimus, uti varicellam a variolis, rubeola, inquam, praececedebat adventum morbillorum mense Maio MDCCXI. Erat optimae indolis.

Contrarium de *variolis* dicendum, quae mense Octobri MDCCCIX et mensibus Januario, Maio et Decembri MDCCX sese manifestarunt, et licet ob magnum numerum infantum *vaccinationis* operi subditorum epidemice regnare haud potuerint, tamen sat late grassabantur. Destituti enim adhuc sumus prudentissimis illis legibus, in regionibus aliis contra eas personas vulgatis, quae beneficium *vaccinationis* spernentes, sponte sese aut proprias familias

variolis praedam dant. In ea nempe et nos versamur opinione, Regimen omni jure aegros, variolis laborantes, instar eorum, qui peste decumbunt, pertractare posse. Ad variolas vero nostras quod spectat, eae quidem re ipsa non fuerunt malignae sive typhodes, at nihilominus saepe lethales, praecipue neglecta alvi evacuatione. Hac enim sedulo operata, omnia in melius mutabantur, virium mirifica subsequente recreatione. Nil vero boni sic dicta remedia excitantia, hic mehercle deprimentia, praestabant. Forte aegrum, quem ex variolis in clinico mortuum doleo, non amissem, si citius indolem morbi gastricam cognovissem. Amarum sane est errorum recordari, at dulce quodammodo, eos fateri, atque longe adhuc dulcissimi, eos evitare. — *Varicella* mense tantum Decembri MDCCCX. obvenerat.

*Scarlatina* spatio quadriennii, de quo scribo, nunquam quidem epidemica fuit, verum saepe sese prodidit sporadice; quin immo pro catastica haberri potuerat mensibus Januario, Februario et Octobri MDCCCX. Scarlatina hujusmodi hoc notatu dignum exhibuit, quod vix aut ne vix quidem erat contagiosa. Vidi mus plus vice simplici infantes scarlatina laborantes, ab aliis, hunc morbum necdum expertis, circumdatos, quin contagium eos inficeret. Nec rarum erat, quod devicta jam scarlatina atque sub ipso opere desquamationis, *miliaria* potissimum ad collum et ad nucham, cum levamine in conspectum venirent. Accidit id vel in virgine viginti annorum, die secunda Decembribus MDCCCX ad clinicum

suscepta. Perducta enim hac aegra ad convalescentiam, frigori sese exposuit, unde crurum oedema, a quo non prius liberabatur, quam comparente die trigesima octava primi morbi originis, nova febre novaque desquamatione.

Tabula aegrorum exemplum fatalis scarlatinae exitus patefacit. Agitur de infante unius anni, in agone ad clinicum delato, ubi post nychthemeri curriculum obiit. Hoc casu excepto, inter centum et ultra aegros, quos spatio septem annorum Vilnae scarlatina laborantes curavi, nec unum amisi. Utinam de simili in scarlatina pertractanda fortuna et tunc, cum Viennae praxin exercerem, gloriari mihi licet! Unde vero tanta eventus diversitas? Pendetne ea a mutatione rationis medendi, vel, quod conscientiae meae magis pacem conciliaret, a diversa morbi indole? Proh dolor! prius fere cogitare cogor.

---

#### CAPUT IV.

*Erysipelas. Zoster.*

---

**N**unquam maiorem *erysipelatum* copiam observaveram, quam autumno MDCCX et subsequente hyeme. Maxima pars aegrorum erysipelate decumbentium, de qua tabula nostra mentionem injicit, ad hoc tempus pertinet. Nulli corporis parti malum parcebat, frequentissime tamen capiti infensum. In uno

aegrorum nostrorum erysipelas a facie per partem capillatam capit is ad collum, thoracem, lumbos, nates, exceptis genitalibus, nec non ad brachia sensim sensimque migraverat. Quaevis eruptio febre, de novo invadente, stipata erat. Indoles mali inflamatoria. Die decima octava morbi, quo tempore partes affectae desquamabantur, *oedema lumborum et brachiorum* in conspectum venit, imminuta simul permultum urinae secretionem. Augebatur vero ea illico, evanescente simul oedemate, cum debitae muriatis hydrargyri et digitalis purpureae doses, non neglecto decocto radicis ononidis spinosae, porrectae essent. Comparuerunt dein permulti furunculi ad varias corporis partes, atque aeger, citra debilitatem, magnum accusabat lumborum dolorem. Tonica antiscorbuticis nupta, nec non vesicatorium ad locum dolentem, cuncta hujusmodi mala profligavere. Aeger, de quo sermo est, a die decima quinta Octobris MDCCX usque ad vigesimam sextam Novembris ejusdem anni decubuit. Paulo post alter, cuius erysipelas a capite per dorsum ad lumbos descendebat, simili pacto harum partium *oedema* obtulit, diureticis ablatum. Tertium tandem ejusdem naturae exemplum nuper in praxi privata observavi. Incep erat morbus furioso delirio ad tertiam hebdomadem protracto; interea erysipelas sensim sensimque a capite descendens, totum truncum occupaverat, subsequente *oedemate* locorum affectorum cum deleta fere urinae secretionem. Methodus primum antiphlogistica, dein diuretica, aegrum haud juvenem et liquoribus

fermentatis deditum, orci saucibus eripuerunt.

Proclivitas hujusmodi *erysipelatis* ad *oedema* de affinitate haud exigua inter hunc morbum et *scarlatinam* testari videtur, quae affinitas vel a desquamatione, utriusque morbo communis, confirmatur; quamobrem forte non multum ille erraret, qui *scarlatinam* pro *erysipelate* universalis, specifico, contagiosoque declararet. Quomodo cunque res se habeat, non inutile erit monere, ut vel in convalescentia *post erysipelata* summa sit habenda urinae ratio.

Vel sequens *observatio* commemoratione haud indigna est. Saltator quadraginta novem annorum, jam pneumonorrhagiae obnoxius, et de phthisi saltem incipiente suspectus, versus finem mensis Novembris MDCCCX pustulas, ut narrat, miliiformes varias ad corporis partes expertus erat, quibus sponte evanesceribus, praegressis simul nonnullis tum animi pathematibus, tum erroribus in diaeta, derepente a febre vomituque effreni, bilioso, atque a singultu correptus est. Adhibito tertia morbi die sulphate magnesiae, levamen obtinuit; ac ea ipsa die *erysipelas*, sine omni pruritu, *ad abdomen* comparuit. delato aegro ad clinicum secunda fere morbi hebdomade, parum quidem febris, at pulsum tamen sano frequentiorem, debilem sitimque magnam invenimus. Vomitus adhuc continuabat, ita et singultus valde creberet et sonorus. Alvus aperta. *Erysipelas* lividi coloris, exiguo cutis tumore, nullo autem calore nullaque tensione stipatum cinguli instar *totum circumdabat truncum*, anterius ad medietatem

femoris descendens. Facies et inquietudo aegri de gravi testabantur morbo. Instituta cauta prognosi, haustum gaz acidum carbonicum evolventem (potio Riverii) interne, et ad erysipelas sacculos calidos ex herbis aromaticis cum camphora praescripsimus. Secunda jam haustus portio vomitum et singulum compescebat. Deponebatur alvus quater cum magno levamine. Quinta introitus die, sudor universalis, toti morbo felicem imponebat finem.

*Epicrisis.* Erysipelas truncum instar cinguli circumdans pro *Zostere* haberi potuisse, nisi morbus hujusmodi id gentilitium possideret, quod *dimidiā tantum partem organi aggrediatur*, nostro autem in aegro *totus truncus* affectus fuerit. Praeterea pustulae miliiformes, quae *Zosterem* constituunt, desiderabantur. Tandem hoc in morbo universa non rubet cutis in parte affecta, quin immo peculiare illi est, cutim inter pustulas positam albescere. Incomprehensibile sane videtur, médicos tam diu, atque ad *Wichmannum* usque, zosterem pro varietate erysipelatis habuisse, cum tamen uterque morbus toto coelo inter se differat. Ipsum enim *erysipelas pustulosum* adeo a *zostere* differt, ut quisque, vel leviter in doctrina morborum cutaneorum versatus, morbos hujusmodi a se invicem distinguere possit. De hoc argumento abunde in altera parte primi voluminis praceptorum meorum praxeos medicae agam. Hic sufficiat meminisse, zosterem tempore erysipelatis fere epidemice grassantis *haud frequentius obvenisse*, quam antea solitus fuerat. Omni

enim anno, praecipue ab autumno usque ad veri nonnulla illius exempla occurrere solent, unde sere concluderem, zosterem in Lithuania communiores esse, quam in Insubria et in Austria. Frequentissima morbi sedes est a medietate sterni super mammam sinistram, sub axilla ad processus spinosos vertebrarum dorsi. Vidimus tamen in ipso clinico exemplum zosteris dimidiam partem cruris sinistri circumdantis, ita alterum dimidii colli, tertiumque faciei. Hoc ultimo in casu, in clinico societatis beneficentiae observato, malum retro aurem sinistram incipiebat atque super genam ejusdem lateris, ad dimidium nasi extendebatur.

## CAPUT V.

### *Erythema mercuriale.*

Primum praesentis seculi decennium, nullum, ni fallor, inventum in re medica exhibet, quod illi *erythematis* sic dicti *mercurialis* palmam eripere posset. Effectus quidem mercurii peculiares in corpus humanum medicos in propria arte versatos, hucusque non latebant, qua de re inter alia *febris* sic dicta *mercurialis*, a nonnullis scriptoribus stabilita, abunde testatur. At, si excipiamus speciem *psydraciae*, quae apud personas cuti tenera instructas eo in loco saepe oritur, quo frictio-

nes mercuriales instituuntur, latebant fere omnino effectus specifici hydrargyri in cutem, donec medici Scotiae et Hyberniae, cl. scilicet *Benjamin Bell* \*), *Alley* \*\*), *Moriarty* \*\*\*), *M' Mullin* †) et *Spens* ‡‡) illustraverint. Detexerunt nempe sub usu hydrargyri, interdum praevia febre, specificam eruptionem in cute oriri, quam sub nomine *erythematis mercurialis* descripserunt. Morbus hic ab eo tempore, a quo illius existentia innotuerat, mihi aliquoties visus, sane et prius obvenerat, verum procul dubio cum impetiginibus syphiliticis confundebatur. Duabus, quas de eo in medium allaturi sumus, observationibus morbi descriptionem breviter praemittamus.

Ingruit erythema mercuriale febris catarhalis instar, socio nonnunquam ptyalismo. Vigente per unum alterumve diem febre, eruptio contingit, nunc sub forma papularum profunde rubrarum summopere prurientium, instar rubeolae; nunc sub ea, nodulorum sive tuberculorum ejusdem coloris veluti urticaria nodosa vel essa auctorum; nunc tandem sub forma vesicularum, fluido pellucido, saepe specifico foedente, repletarum, quae disruptae crustas uti in herpete gignunt. Sedes

\*) A treatise on gonorrhœa virulenta and lues venerea. Vol. II. p. 228.

\*\*) An essay on a peculiar eruptive disease arising from the exhibition of mercury. Dublin 1804.

\*\*\*) A description of the mercurial lepra. Dublin 1804.

†) Essay on erythema mercuriale. *Vide: The Edinburgh medical and chirurgical journal.* 1806. no. V. p. 37.

‡‡) History of three cases of erythema mercuriale. *Vid. I. c. 1805. no. 1. p. 7.*

communissima eruptionum est scrotum, et crura; non raro autem exanthema per totam corporis superficiem, non excepta semper facie, extenditur. Facta eruptione febris non solum non remittit, sed invalescit potius. Idem, in graviori saltem malo, vel de symptomatibus catarrhalibus dicendum. Duratio efflorescentiae varia, ab una scilicet hebdomade usque fere ad mensem. Versus finem vergente morbo vel desquamatio vel secessus crustarum incipit. Desquamatio locum obtinet, dum eruptio sub forma papularum vel tuberculorum contingit; crustae vero plerumque occurunt, dum eruptio ex vesiculis constabat. Sunt hujusmodi crustae ex flavo brunneae. Alias vel solidescunt vesiculae et dein desquamantur. Ecce nunc nostras observationes.

*Observatio I.* Adolescens, ex stirpe valitudinaria originem dicens, in infantia tinea capitis, variolis, nequaquam vero morbillis obnoxius, luem syphiliticam sub forma dolorum osteocoporum et angina contraxit. Adhibitis quinque frictionibus, quarum una quavis solum ex drachma semisse unguenti mercurialis constabat, in febrem et ptyalismum incidit, subsequentे eruptione cutanea. Die decima morbi, mensis autem Novembris MDCCCIX decima tertia, ad clinicum susceptus est. Praeter consueta ptyalismi symptomata aderant febris, tussis, pectoris dolor, atque magna inquietudo. Cutis variis in locis, praesertim ad crura et ad inguina, pustulis notata erat, pisi magnitudine, prurientibus, sero flavescente, non tamen foedente, repletis. Ordiebatur cura purgantibus antiphlogisticis. Sed

ta ita febre et salivatione, die decima nona ejusdem mensis, perstantem eruptionem tum balneis sulphuricis, tum aqua gaz hydro-sulphureto leniter impregnata, aggressi sumus. Vix adhibitis hisce auxiliis evanuit pruritus. Versus finem mensis vesiculae solidae redditae desquamationem exhibebant. Die vigesima tercia Decembris sanus domum petiit.

*Observatio II.* Famulus, viginti tres annos natus, voce rauca a variolis in infantia perpessis instructus, febribus intermittentibus hinc inde obnoxius, vere anni MDCCX luem contraxit, doloribus ossium, praecipue vertebrarum colli, atque maculis cutis cupreis insignitam. Continuis itineribus intentus, octoginta circiter mercurii solubilis Hahnemanni grana, sine omni ordine, spatio trium mensium adhibuit. Evanuerunt quidem maculae, imminuebantur quoque dolores, at comparente exulceratione ad glandem penis, quin novae infectioni locum dederit. Diebus ultimis mensis Octobris ejusdem anni, praevia lassitudine et inquietudine in febrem incidit symptomatibus catarrhalibus stipatam, cui tertia die peculiaris eruptio cutis adsociata est. Fertur illico, die scilicet prima Novembris ad clinicum, ubi sequentia observabantur. Corpus robustum, febris calore urente et pulsu pleno, duro, ad 100, nec non inexplicabili siti stipata; ciborum desiderium deletum, tussis valida cum sputis mucosis, et respiratione difficulti; pectoris lumborumque cruciatus, saliva copiosa, faucium dolor, et rubor, gingivae fungosae, sanguinem tamen non fundentes, exco-

riatio penis, et alvus tarda. Universa praeterea cutis obsessa a maculis coloris profunde rubri, quasi lividi, in medio tuberculo magnitudine nucis instructis, prurientibus, adspectu quasi venerei. Declaratur morbus pro lue febri catarrhali juncta. Aggredimur primum hanc ultimam consuetis auxiliis. *Die 3. mensis.* Status idem; ulcuscula, adspectu venerea, labia obsident. Somnus inquietus. *Die 5.* Exanthema magis magisque efflorescit, caetrum rerum conditio eadem. *Die 6.* Ardor eruptionis insignis, nox insomniq; febris aucta, pulsum plenum et durum exhibens. Instituatur venae sectio ad uncias sex. *Die 7.* Nullum levamen; habeat infusum foliorum digitalis purpureae cum decocto radicis orchidis morionis. *A die 8. ad 11.* Remisit febris cum singulis symptomatibus, excepta eruptione cutanea. Praescribitur decoctum lichenis islandici et radicis smilacis sarsaparillae cum lacte. *A die 11. ad 17.* Vires recreantur, ulcera penis et labiorum sanata, pulsus vero adhuc irritatus, licet raro ultra 80; eruptio cutanea eadem. Jungitur pristinis remediis digitalis purpurea, exhibito simul balneo sulphurico. *Die 22.* Color eruptionis de die in diem pallidior evadit, atque tuberculi in apice desquamantur. Urgent autem plus solito dolores colli et brachiorum. Habeat decoctum orchidis morionis cum acido nitrico et syrupo simplici. *Die 25.* Acidum fauces irritat tussimque promovet. Cutis jam normalis, excepta desquamatione epidermidis sub forma surfurum. Aeger praecipue de doloribus osteocopis conqueritur, qui fugantur usu de-

cocti corticis daphnes mezeraei. Exiit valens die duodecima Decembris.

Epicrisis. Fateor me rectam hujus morbi diagnosin solum absolutā jam cura instituisse. Quod nempe pro syphilitico habueram exanthema, id ex mercurio originem trahere, potissimum ex sulphuris praestantia cognovi. Citius forte ita judicassem, si vitium cutis, de quo agitur, adspectum papularum instar primi aegri, vel eam *erythematis* obtulisset. Si enim per erythema cum maxima auctorum parte, et praecipue cum *Sauvages* et J. P. *Frank* intelligamus speciem erysipelatis chronicī atque apyrectici, morbo nostro nomen erythematis nullo pacto convenire posse, quicunque facile intelliget. Arduum quidem foret, aptius mox invenire nomen, nisi forte illud genericum nimis *exanthematis mercurialis*. Verum necessitatem hac in re festinandi non videamus. Colligamus primum facta, nomina deinde sponte se exhibebunt. Interim sufficiat nosse et pro certo habere, mercurium hinc inde specificam excitare eruptionem cutaneam praevia sociaque febre quasi catarhalī, hancque eruptionem hucusque visam fuisse sub forma tum *rubeolae*, tum *urticariae nodosae*, tum *herpetis*, a quibus tamen morbis differt, quod praecipue relate ad rubeolam perbelle demonstravit M<sup>r</sup> *Mullin*, optimus de erythematē mercuriali scriptor.

Aetiologia novi, de quo agimus, morbi in ulteriori illius examine potissimum non negligenda videtur. Sequentia huc pertinentia facta jam innotuere. Mercurius morbo nostro ansam porrigit tum interne tum externe adhi-

bitus. Non requiritur semper magna illius dosis. Nec in solis venereis, sed et in aliis morbis, testante saltem cl. M<sup>r</sup> Mullin, effectum, de quo agitur, producit. Refrigeratio corporis potissima videtur caussa excitans. An praeterea peculiaris corporis idiosyncrasia hic admittenda sit, et quaenam, an scorbuticae forte indolis, ulterior potest docere observatio.

Quoniam vero hujusmodi observationi nil magis obstaret, quam confusio erythematis mercurialis cum impetiginibus syphiliticis, hos morbos inter se invicem comparare juvabit, atque nonnulla saltem signa diagnostica ita eruere.

### *Impetigo venerea.*

1. Sistit vitium cutis apyrecticum.
2. Raro pruritu stipatur.
3. Ea comparente leniuntur saepe alia symptomata.
4. In mercurio certum fere remedium agnoscit.

### *Exanthema mercuriale.*

1. Sistit vitium cutis febrile.
2. Saepe pruritu stipatur.
3. Ea comparente invalescunt cuncta mala.
4. A mercurio exasperatur.

Quaestio tandem memorabilis sese attentioni nostrae adhuc offert; utrum scilicet apparitio exanthematis mercurialis in morbo syphilitico de eradicata lue testetur nec ne? Negative certe responderem, si occasio errandi, praeprimis in observationibus circa morbos venereo, non tam facilis esset. Aeger

enim, secundae observationis objectum, ab-  
soluto sex mensium curriculo, de novo evo-  
luta exhibit luem, atque licet iterum ulcerel  
penis prehensus sit, tamen recentiorem jure  
jurando abnegat infectionem.

---

## CAPUT VI.

### L e p r a . P l i c a .

---

**A**eger *lepra squamosa* laborans, de quo-  
tabula morborum mentionem injicit, solum  
ad clinicum institutum susceptus fuit, ut fa-  
cultas, herculeum hujusmodi morbum com-  
militonibus exhibendi, mihi concederetur.  
Diurna enim illius mora in instituto a mul-  
tis rerum adjunctis impeditiebatur. Quamob-  
rem nisui curationem perficiendi valedicens,  
totus fui in doctrina leprae exponenda, quam  
doctrinam vel in praelectionibus meis thera-  
piae specialis fusius, quam vulgo fieri solet,  
tradere soleo. In ea nempe versor opinione,  
nil magis doctrinam morborum chronicorum  
cutis illustrare, quam studium exactum leprae,  
matricis videlicet multarum impetiginum, nec  
non aliarum aegritudinum, vel praesenti aëvo  
regnantium. Studium sane hujusmodi, hodie-  
dum praeprimis, permultis premitur difficul-  
tatibus. Pauci enim extant Europæ medici,  
qui lepræ, non dicam infinitas, sed saltem  
potissimas formas vel semel propriis oculis

observaverint. Felicior hac in re, quinques *lepram squamosam*, *lepram vero rubram*, si liceat pellagran ad eam revocare, millesies et ultra, bis tandem *lepram elephantiam artuum*, et semel ipsam *lepram nodosam* sive *elephantiam totius corporis* mihi videre contigerat.... Observationes ita collectas sedulo cum leprae doctrina, a magno in rebus medicis *Henslero* \*) classice exposita, comparare haud neglexi. Amplia denique opportunitate gavisus sum, cunctas formas luis venereae, nec excepto *sibbens* &c. observandi, ut potest quae illis leprae interdum similes, medicis in uno alterove morbo minus versatis, maximas in diagnosi difficultates offerunt. Haec omnia eo solum fine in medium afferre audeo, ut lectorem benevolum certiores reddam, me intradenda re ardua, de qua mox infra, judicium proprium, non illotis, ut dicunt, manibus expositurum esse.

Permuli, quibuscum commercium litterarum alo, me vehementer ob id criminantur, quod post diuturnam licet in Lithuania moram, propriam necdum de morbo, hic aequa ac in reliqua Polonia endemice, grassante scilicet de *plica* sive de *trichomate*, patefecerim opinionem. Videant quaeso ex hoc, me iis saltem haud esse adscribendum, qui vel in gravissimis rebus sibi judicium praecipitanter arrogare solent. Arduum enim jam jam est

\*) Vom abendländischen Aussatze im Mittelalter, nebst einem Beitrage zur Kenntniß und Geschichte des Aussatzes. Hamburg. 1790. 8.

itineratori mores hominum regiones extraneas inhabitantium dijudicare, at longe difficilius adhuc de peculiaribus inter eos grassantibus morbis judicium proferre. Hoc enim nisi sedulae et continuatae observationi superstruantur, plane futile evadit, et ad observationes iterum iterumque instituendas, comparandas, dijudicandas, rectificandasque, temporis mehercle non parum requiritur. Quod vero temporis mihi inter varias, quibus destineor, occupationes supererat, illud plicae, utpote mirabili admodum morbo, attentionem totius orbis ad se trahente, libertissime consecravi. Ampla praeterea, quam vel inter pauperes omnium religionum exerceo, praxis ad copiosissimas colligendas observationes quammaxime idonea fuit. Iis cunctis nunc ad trutinam vocatis, quid de plica sentiam, candide unoque verbo patefaciam atque doctorum judicio submittam. *Plica mihi videtur lepræ species, vel saltem illius modificatio.* Argumenta, opinionem hujusmodi suffulcientia, sponte ex comparatione characterum generalium lepræ cum illis plicae elucebunt, cui scopo sequens dicatur tabula.

### *L e p r a.*

1. Solum in Oriente, praecipue in Asia anteriori et in Aegypto endemica dici potest.

(Hensler l. c. p. 66.)

### *P l i c a.*

1. Origo ex Oriente per Tatarorum incursions repetitur.  
(Sprengel pragm. Geschicht. etc. 2. Th. §. 82.)

*L e p r a.*

2. Quamvis in Occidente vel ante bellum sacra extiterit, at tamen potissimum eorum gratia seculo 11. et 12. ibi diffusa est.

(*Raymond histoire de l'elephantiasis* p. 106)

3. Quo tempore ea grassabatur, *haemorrhoides* sistebant vulgatissimum malum, unde *Haly Abbas* in emendis servis praescribit: „anistatum intuere, ne forte sint in eo Emorroides, aut Morus, aut similia.“

(*Hensler op. cit. p. 1.*)

4. Transpiratio hominum illius germen continentium foetet.

(*Hensler l. c. p. 138.*)

*P l i c a.*

2. Anno MCCLXXVII in Polonia innotuerat.

(*Sprengel. l. c.*)

4. Communem Poloniae (omniumque regionum septentrionalium) *haemorrhoides* sistunt morbum, saepe pliace junctum.

4. Feminae lithuanae transpirationem sui generis admodum ingratam habent.

(*Gilibert Samml. pr. Beobacht. Leipz. 1792. p. 315.*)

Hujusmodi factum, sane exceptionibus multis non destitutum, confirmamus.

*Lepra.*

5. Evolutioni morbi symptomata nervosa praecedere solent.

(L. c. p. 140.)

6. Pathognomonicum fere leprae signum est *anaesthesia*.

(L. c. p. 276.)

*Plica.*

5. Evolutioni morbi multa symptomata nervosa praecedere, omnes fatentur, non excepto cl. *La-*  
*fontaine.*

(Chirurg. med. Beobach-  
tungen p. 16.)

6. De anaesthesia in plica nemo, ni fal-  
lor, auctorum loqui-  
tur, verum eam ta-  
men semel conspe-  
xi. Triginta anno-  
rum femina, plica  
laborans die sexta  
Octobris MDCCX ad  
clinicū suscepta,  
in publico examine  
cutem extremita-  
tum superiorum ab  
apicibus digitorum  
ad cubitum usque,  
ac inferiorum ab  
apice digitorum ad  
genua usque, ab-  
sente omni paraly-  
seos suspicione, a-  
deo insensilem ex-  
hibuit, ut nec acuum  
puncturam, nec ae-  
stum aquae servi-  
dae, persentiret.  
Ipsa per tria horæ

*L e p r a.*

7. Eruptionem illius  
saepe febris, sym-  
ptomatisbus fere  
rheumaticis stipata,  
concomitatur.

(L. c. p. 124. 392.)

8. Principium lepro-  
sum tendit *praecipue ad caput*, et  
vario modo signa  
sua habet. Habet  
ea vel sub crinibus.  
(L. c. p. 301.)

9. Ad digitorum api-  
ces nec non ad un-  
gues multae muta-  
tiones observantur.

— — — Praecipue  
ungues proprium  
colorem mutant,  
finduntur &c.

(L. c. p. 152.)

*P l i c a.*

momenta acidum  
nitrosum conceutra-  
tum sine omni do-  
lore in manus cavo  
teniebat.

7. Eruptio illius saepe  
frigus cum calore  
socium habet.

(Lafontaine. l. c. p. 19.)

Febrem eruptionis, de  
qua agitur, prodromum,  
facile cum rheumatismo acuto  
confundi posse, jam  
in secundo volume  
praesentis ope-  
ris p. 49, monui.

8. . . . .

9. Tumefiunt ultimae  
digitorum phalan-  
ges, deformantur  
que ungues.

*L e p r a.*

10. Ulcera foeda cutem depascunt.  
(L. c. p. 153. nota 40.)
11. Ulcera cicatrices relinquunt.
12. Certae illius species et vulpibus communes.  
(L. c. in excerptis. p. 17)

*P l i c a.*

10. Ulcera foeda cutem depascunt.
11. Ulcera cicatrices relinquunt.
12. Et vulpes ea laborant.  
(Lafontaine. l. c. p. 11.)

Comparationem leprae et plicae ultro adhuc extendere possem, si limites praesentis operis id permitterent. Caeterum non inficior, plicae nonnullos leprae characteres deficere. Deficit potissimum illi vox rauca, deficitque forte lascivia, signa leprae fere gentilitia. Verum non obliviscendum, nos plicam non ad notas leprae species revocare velle, sed eam pro peculiari illius specie sive illius modificatione habere. — Si vero quis quaereret, cum quanam leprae specie plica praecipuam alat affinitatem? responderem: cum ea, quae dicitur *Lepra alopecia* et *Lepra tyria*. Fateur enim *Avicenna*, in lepra tyria crines non solum cadere; sed cutim simul excoriari \*). Caeterum eo minus mirum videri debet, nos norbum endemicum Poloniae ad lepram revocare, cum plurimae aegritudines plicae adinstar aliis in regionibus jam dudum ad eam revocatae fuerint \*\*). — Loquor de *Radesyge*

\*) Libro canonis in medicina. Edit. Venet. 1555. fol. lib. IV.

\*\*) De ipsa plica jam dixerat cl. Schlegel: „Ich meinen Theiles halte den Weichselzopf, die Elephan-

et de *Spedalskhed Norwegiae* \*); de *morbo Crimeae* \*\*), de *Mal de la Rosa Asturiae* \*\*\* et de *Pellagra Italiae Cisalpinae*. Morbus hic cum *lepra rubra* sive *scorbutica* magnam affinitatem alens, utpote ex stirpe leprae, revera nonnullas cum plica similitudines habet. Eruamus eas breviter.

*Pellagra.*

1. Incipit lassitudine, crurum imbecillitate, tristitia, gravitate capitis, et vertigine.
2. Apparente, praevio rubore, desquamatione cutis, cessant vel remittunt symptomata vix enarrata.
3. Crines saepe instar setarum porci rigent.

*Plica.*

1. Adoritur imbecillitate artuum, melancholia, dolore capitis, vertigine &c. (Lafontaine. l. c. p. 17.)
2. Evolutio trichomatits crisinfere morbi sistit. (L. c. p. 9.)
3. . . . .

tiasis und die Pellagra für identisch. (Ueber die Ursachen des Wechselzopfs. p. 79). At nullo argumento vagam hujusmodi opinionem confirmat; quae etiam nullo pacto cum illius hypothesibus circa plicae originem cohaeret.

\*) Hensler Vorrede zu zwei Abhandlungen von den Kennzeichen, Ursachen und der Heilmethode der Radesyge von Arb. von Mangor. Altona 1797.

\*\*) Pallas Reisen 1. B. p. 302. Gmelins Reisen 2. B. p. 69.

\*\*\*) Description d'une maladie appellée *Mal de la Rosa* par Mr. Thiery. Vide Recueil periodique d'observations de médecine etc. à Paris 1755.

*Pellagra.*

4. Ungues deformantur.  
5. Morbus oculis infensus, saepe visu dupli stipatus.

*Plica.*

4. . . . .  
5. Oculi vario pacto laborant; bisque diplopia mihi obvenit.

Verum non desiderantur differentiae pli-  
cam inter et pellagram. Primum enim pella-  
gra exclusive fere inter rusticos grassatur;  
plica contra tum ruri tum in urbibus. Se-  
cundo, pellagra vernali tantum tempore in  
conspectum venire solet, plica vero nulla non  
anni parte. Postremo pellagra longe magis  
exitialis quam plica. Quamvis enim et plica  
morbum sistat saepe exitialem et mutilatorem,  
attamen illi tot strages non adscribenda, quot  
illi adscribit cl. Schlegel \*). Numerus enim  
incolarum, superficie soli plicam generantis  
haud respondens, vix aut ne vix quidem huic  
morbo tribuendus, — quaeratur enim potissi-  
mum in pestibus Poloniae et Lithuaniae omni  
fere seculo infensissimis \*\*); quaeratur in  
bellis iterum iterumque repetitis; quaeratur  
in dira, qua rustici gemebant, et ex parte ad-  
huc gemunt, servitudine; quaeratur in liquoribus  
fermentatis, quibus vulgus abutitur; quaeratur  
denique in defectu politiae medicae, hisce in  
regionibus adhuc in incunabulis jacentis.

Investigationi plicae intentus, attentionem  
meam praeprimis *morbis* consecravi, qui

\*) Op. cit. p. 18.

\*\*) Praecepta mea praxeos medicae, in articulo de  
peste.

*saepe cum ea connubium inire solent.* Maximi enim mihi videtur momenti artificium hujusmodi in recondita cujusdam morbi indole exploranda. Inter alia, quae hic in medium proferre supervacaneum foret, detectimus, *cancrum* tum nasi, tum labiorum, tum mammorum non solum saepe plicam concomitari, sed ipsa *ulcera plicosa maximam analogiam cum ulceribus cancerosis habere* \*). Analogia hac ductus, quid *conium maculatum*, a cl. *Lafontaine* simul cum aliis pharmacis generice commendatum, in plica valeret, tentare mihi proposui. Eventus non parum confirmavit speim; quamobrem ut virtutem conii maculati suffulcirem, illi adhuc *sulphur*, utpote remedium in plica celebratum, sequenti modo addidi. Rec. Extracti conii maculati drachmam unam, pulveris sulphuris puri drachmas duas. F. lege artis pilulae granorum trium, d. s. ter de die capiat no. quinque. Hisce denique pilulis egregium atque populare remedium superbibendo suadeo, decoctum scilicet *herbae vincae pervincae*. Pauci extant plica laborantes, qui sub hac medendi methodo plus minus levaminis non experti fuissent, et non nullis omnino profuit.

Permulta adhuc de plica in medium offrenda essent, si totam illius doctrinam, quatenus eam concepimus, exponere vellemus. Fiet hoc in secundo volumine partis primae institu-

\*) Observatio hujusmodi pondus magnum addit, tum opinioni cujusdam medici Galli (cujus nominis haud recordor), qui existimat, vitium cancerosum originem suam a lepra desumere, tumque propriae circa identitatem plicae et leprae.

tionum nostrarum propediem in lucem edituro. Ad interim dicta sufficere mihi videntur ad infringendam opinionem nuper a cl. Champseru adversus egregium *de la Fontaine*, sane non ea urbanitate, quae Gallis, et in genere hominibus bene educatis propria est, expositam, plicam scilicet non sistere morbum, sed solum effectum neglectae munditiae. Nil a veritate magis alienum, si excipiatur *artificialis* illa plica, quam aegroti morbis diuturnis et obscuris laborantes, sibi ipsis hinc inde procurant, spe non semper inani freti, neglectam pectinationem et munditiem capitis posse evolutionem plicae et cum ea crisin morbi promovere. Genuinam plicam vel inter formosas matronas nostras, puritati sane non minus studentes, quam elegantissimae Parisiensium feminae, plus vice simplici inveni. Porro, quod de Polonorum impuritate dicitur, limites veri valde excedit. Vulgus Galliae meridionalis et Italiae certe haud purior polonico, attamen quid plica sit, plane ille ignorat. Nec facile crederem, vulpes, a cl. Champseru in Gallia visas, majori studio sese condecorare, quam eae, quae Poloniae nemora inhabitant, atque plicam experiuntur.

Plicam esse *indolis venereae*, nuper egre-  
gius mihique carissimus vir, cl. scilicet *Lar-  
rey* \*), contendebat. Eandem defenderat opi-  
nionem Dr. *Wolffram* \*\*). Inter multa ar-  
gumenta, quibus hanc opinionem diluere pos-

\*) Bulletin des sciences méd. par la société médicale à Paris. Février 1803.

\*\*) Versuch über die höchstwahrscheinliche Ursache des Weichselzopfs. 1804.

sem, unum tantum atque potissimum eligam.  
Si plica revera esset indolis venereae, cur  
adversus eam mercurius non solum nil boni  
efficit, sed potius plerumque nocet, quod saepe  
saepius expertus sum?

---

## C A P U T VII.

*Morbus maculosus haemorrhagicus Werlhofii.*

---

**O**bservatio. Puella decimum nonum annum numerans, necdum menstruata, cunctos morbos infantiles perpessa, anno MDCCCI inopinata in largam narium haemorrhagiam incidit, post quam pristinos nunquam recuperare potuit vires. Anno MDCCCI mense Septembri supervenere chloroseos symptomata iis dyspepsiae juncta. Initio mensis Octobris, a febre, signis gastricis et faucium dolore stipata, corripiebatur, quae biduo elapso, aegram convalescentem dereliquit. Vix autem domesticis occupationibus iterum operam navare inceperat, cum improvise maculae pulicum morsuum instar, tamen punctulo in medio destitutae, coloris profunde rubri, primum ad latera colli, dein ad mammas et supra totum corpus, exceptis facie et planta pedum, in conspectum venirent. Rediit simul faucium dolor non sine deglutiendi difficultate. Vires quidem langebant, at non ita, ut ipsa aegra clinicum adire haud potuerit. Hic die decima quarta Octobris suscepta, praeter jam enarrata obtu-

lit; habitum chloroticum, oculos circulis lividis circumdatos, linguam maculis, iis, quae cutem occupant, fere similibus, obsessam; fere, inquam, nam maculae hujusmodi supra linguam pauculum elevatae erant, et disruptas instar minimorum varicum crux guttam fundebant, nullo relicto stigmate. Caeterum gingivae bene constitutae, dentes firmi, halitusque inodorus. Fauces leviter rubent, pulsus, calor corporis, urina normales. Sitis nulla. Aegra praecipue dolorem lumborum atque symptomata dyspeptica accusat. Alvus tamen libera, hic inde sanguine tincta, ita sputa, tussis rara sine ullo pectoris incommodo excreta. Declarato malo pro *morbo* sic dicto *maculoso haemorrhagico Werlhofii*, scorbuto affini, ab eo tamen sicuti a peticulis diverso, prium alvum supertartritide potassae et subcarbonatae magnesiae, leniter sollicitavimus, imperata simul diaeta vegetabili. *Die 3. ingressus.* Alvus bis liquida mota, non sine debilitatis sensu. Habeat elixirium acidum Halleri, et lavetur corpus bis de die acido nitrico debita quantitate aquae diluto. *Die 5.* Supervenit insultus quasi hystericus, palpitatione cordis, sensu constrictiois ad regionem epigastricam, et sussurru aurium stipatus. *Die 6.* Pulsus febrilis, cephalaea. *Die 7.* Mane apyrecta, vespere iterum febricitat; pulsus 102. *Die 8.* Praevia nocte irrequieta, mane aliquoties in lipothymiam incidit, subsequentem epistaxi ad uncias circiter novem. Sanguis normalis. Maculae, quotquot erant, illico evanuerunt. Rediit similis epistaxis ad vesperam; quare undique clauduntur lege artis nares;

continueturque in elixirio acido. *Die 9.* Aegra summopere debilis et ad lipothymias prona; pulsus 120, irritatus, calor magnus, maculae nigricantes ad superficiem internam labiorum obveniunt. Habeat mixturam nitratam. *Die 10.* Status idem, praeter aphthas cavum oris obsidentes, gingivas nunc sanguinem fundentes, orisque foetorem. Praescribitur decoctum tamarindorum cum nitrata potassae. *Die 11.* Omnium symptomatum remissio, alvus bis cum levamine mota; continuetur in medicamento; infusum salviae pro collutorio. *Die 12.* Nox inquieta, alvus ter mota, calor sanus, pulsus 96. Quiescat. *Die 13.* Aegra sat serena, febris nulla. Habeat infusum radicis acori calami cum tinctura aromatica sulphurica. *Die 14.* Omnia in melius mane; at vespere sine nota causa anxietas magna, tremores digitorum, pulsus 110, calor auctus. *Die 15.* Aegra soporosa neque questionibus respondet, neque expeditam linguam porrigit; ichor cruentus ex ore depluit, subsiliunt tendines, pulsus regularis, parvus, ad 112. Morbum in febrem typhodem transiisse existimantes, aquam florum matricariae chamomillae cum tinctura castorei et succinate ammoniae exhibuimus, non neglectis epispaisticis ad suras. *Die 16.* Status idem. Exhibitur acidum muriaticum oxygenatum cum decocto radicis orchidis morionis. *Die 17.* Supervenere convulsiones. De novo maculae primis similes corporis superficiem occupant; calor cutis urens, pulsus 180, respiratio 56, alvus et urina in lectulum depositae. Noctumors. Sectio cadaveris a matre non conce-

ditur. Probabiliter ea haemorrhagiam quan-  
dam internam, forte in ipsa cavitate cranii  
exhibuisset. Dolendus casus! —

---

## CAPUT VIII.

### E p i s t a x i s.

---

**O**bservatio. Femina viginti quinque anno-  
rum, duarum prolium mater, sex abhinc  
mensibus infantem ablactans, atque ab ultimo  
partu necdum ménstruata, jam a nonnullis  
hebdomadibus repetitis narium haemorrhagiis  
cruciabatur. Die nona Februarii MDCCCVIII ad  
clinicum institutum venerat. Habitum offere-  
bat fere cachecticum, albugineam subflave-  
scensem, alvum tardam, tensionem atque du-  
ritiem ad hepatis regionem, anxietatem, in-  
primis post cibos assumtos. Hinc inde expe-  
riebatur cardialgiam, socia interdum lipothy-  
mia. Nulla vel scorbuti vel haemorrhoidum  
signa. Urina normalis. Ita pulsus, nullo in  
brachio dicrotus. Sanguis ex *utroque nare*  
saepius copiose manabat. Ala tamen dextra  
nasi, prae sinistra, adventante epistaxi, rube-  
bat. Sanitati restituitur remediis resolventibus,  
non neglecto muriate hydrargyri.

**Epicricis.** Epistaxis hic ab obstructione  
hepatis potissimum derivavimus, atque praes-  
sentem occasionem avide arripuimus, ut tyro-  
nibus ostenderemus, quanti sit momenti, in  
epistaxi abdominis rationem habere. Quo-

modo autem viscera abdominalia obstructa  
narium haemorrhagiis ansam porrigere queant,  
duce *Onofrio* \*) ex principiis mechanicis  
explicui, quae vel in epitome de curandis ho-  
minum morbis, auctore J. P. *Frank*, in medium  
feruntur \*\*).

---

## C A P U T IX.

### *Hydrocephalus acutus.*

---

**Q**uo magis diagnosis hydrocephali acuti il-  
lustrabitur, quo rectius prima hujus morbi  
origo, encephalitis, aut status illi affinis ab  
aegritudinibus, cum quibus similitudinem alit,  
uti e. c. a febribus sic dictis nervosis, distin-  
guetur, eo major invenietur copia aegrorum  
hydrocephalo acuto laborantium. Fateri enim  
nequaquam haesito, morbum, de quo agitur,  
unicuique fere aetati, nec senili excepta, fa-  
miliarem esse. Limites et analogiam hydro-  
cephalum acutum inter et apoplexiā determini-  
nare, fertilem campum ulteriori investigationi  
offert. In genere nullius fere morbi diagnosis  
ampliores agnoscit limites, ea hydrocephali  
acuti, praecipue si morbus istiusmodi simul  
cum hydrocephalite acuta, nec non cum hy-  
drope acuto tunicarum vaginalium nervorum

\*) *Vincentius Onofrio de narium haemorrhagia com-*  
*mentarius.* 1779. §. 30 sq.

\*\*) Vol. IV. Cap. de Epistaxi; p. 133.

consideretur. Res tanti momenti hic nec in transitu tangi posse, quisque ipse intelligit, qua de caussa satis esto, observationes de hydrocephalo acuto, in clinico instituto collectas, breviter exponere.

*Observatio I.* Faber ferrarius, torosus, viginti sex annos natus, initio mensis Octobris MDCCCVIII, sine nota caussa a terribili capitis dolore, diu noctuque excruciantem, febreque acuta stipato, correptus est. Post nonnullorum dierum curriculum, quin morbo medelam opponeret, in effrenem vomitum incidit, quo facto capitis dolor remisit, evanescente omnino febre. Remansit autem gravedo capitis, et vomitus hinc inde occurrens. Elapso mense cephalalgia de novo recruduit, unde aeger die 19. Novembris ejusdem anni clinico sese commisit. Praeter diram cephalalgiam, pulsationis sensum atque susurrum in auribus accusabat. Conquerebatur praeterea de visu labefactato, et de brachiorum torpore. Pupilla oculi sinistri vix aut ne vix quidem contrahebatur. Tremebat lingua, oblique dextrorsum exerta. Urina haud multa, conditionis sanae; alvus tarda, pulsus normalis, nulla febris. Praescribitur setaceum ad nucham, calomel cum digitali, et infusum florum arnicae montanae. *Die 20 mensis.* Supervenerunt motus convulsivi oculi dextri. *Die 21.* Omnium symptomatum levamen; urina ad libras octo. Ita usque ad diem 27; hic enim inopinate febri laborare incepit. *Die 28.* Continuat febris, multis nunc symptomatibus gastricis stipata. Purgatur aeger cum levamine. *Die 4. Decembris.* Aeger omnino a

febre aliisque symptomatibus, supra allatis, liber, nil nisi debilitatem accusans. Exiit sanus, post duas hebdomades.

*Observatio II.* Famulus vigesimum tertium annum agens, die quarta Februarii MDCCCIIX ad clinicum deportatur. En rerum statum. Aeger vix mente compos; suscitatus balbutiendo monosyllaba profert; facies lurida, pupillae dilatatae, seseque nequaquam contrahentes; os sinistrorum retractum; lingua tamen recte exeritur; screatio continua atque ita valida, ut saliva undique portetur, deglutitio concessa, singultus sonorus, cum evidenti diaphragmatis motu; abdomen molle, summa inquietudo; manus saepe capiti admovetur, pulsus 56, debilis, regularis; urina pallida, sat copiosa. De morbi historia nil aliud innotuit, nisi quod aeger duobus abhinc annis, haemoptoe ex tussi chronica laboraverit, quodque nuper sub itinere, assumto cibo praeter modum calido, epotaque mox aqua frigida, in singulum inciderit, cui praesens morbus sese sensim sensimque adsociaverat. Confugimus spatio decem dierum ad varia remedia, inter quae potiora erant, vesicatoria, calomel, arnica, moschus, assa foetida, oxydum zinci, atque anthelmintica varia. Die 17. mensis, brachium sinistrum tam arcte pectori admotum invenimus, ut deduci haud posset. Die sequenti, cessante rebelli singultu, opisthotonus in conspectum venit. Die 19. Profundus sopor. Die 20. Mors. *Sectio cadaveris.* Cranium durae matri parum adhaeret. Cunctae hemisphaerii sinistri venae, ac si arte injectae essent. Ventriculus cerebri dexter normali duplo amplior,

ad minimum uncias tres seri limpidi continens. Plexus chorioideus magna hydatide obsessus. Caetera in cavitate cranii et spinae, secundum normam, excepto processu clinoideo ossis sphenoidei dextri, qui valde erat acuminatus et prominens. Pulmones nonnulla tubercula offerebant. Erant hinc inde cum pleura concreti. Valde vero lobus inferior pulmonis dextri parti musculari diaphragmatis adhaerebat, quae pars duplo crassior erat. Viscera abdominalia sana.

*Observatio III.* Puella trium annorum, sanae constitutionis, praevio ante hebdomadem lapsu super occiput, nullo tamen relicto vestigio externo, morosa reddita est atque anxia. Superaccessit paulo post febris; referente matre, insigni capitis dolore vomituque, dein somnolentia stipata. Nona morbi die, decima septima Maii MDCCXI, nulla fere adhibita medela, instituto clinico committitur. Aegra profundo sopore sepulta jacet; oculi dum aperiuntur, quod raro sponte fit, lacrimis innatant, quarum plurimae ac si fleret per genas depluunt; pupillae paululum dilatatae, verum contractiles; facies alternatim palliditque, suspirat frequenter, strident dentes, auditus, uti videtur, deletus, ita vox: deglutitio tamen concessa, pulsus 80, debilis, irregularis, calor cutis fere naturalis, urina pauca, sedimentum album puriforme deponens, jactatio continua extremitatum inferiorum. *Die undecima morbi.* Aegra manus continuo ori admovet easque mordere satagit. Respiratio spatio sexagesimae horae partis 28, suspiriis intercepta; paresis palpebrae dextrae,

pupilla hoc in latere jam vix contractilis, oculi quasi crystallini; vasa conjunctivae ad angulum internum oculorum ac si arte injecta essent, copiosam materiam puriformem secerunt. *Die duodecima.* Retractio brachii dextri; utraque brachia elevata proprio pondere concidunt; strabismus; extremitates subfrigidae, pulsus 85, exilis, irregularis. *Die decima tertia.* Statuae instar aegra, oculis firme clausis, decumbit; rigent extremitates, respiratio 36, pulsus 173, mors ad noctem. *Sectio cadaveris.* Nullum vestigium laesioneis externae. Scisis tamen tegumentis cranii, ecchymosis pollicis circumferentiae, circa foramina parietalia cernitur. Loco huic respondentे, parvum extravasatum sanguinis inter duram et piam matrem obvenit. Vasa meningum et cerebri turgida. Pia matèr rubet, et lympha coagulabili obtecta est. Cuncti sinus sanguine fere vacui. Quotquot autem sunt ventriculi cerebri, sero, in toto ultra uncias sex, repleti. Innatat in eo vel medulla oblongata. Nulla tamen aqua in specu vertebrali. Viscera pectoris et abdominis normalia.

*Epicrisis.* Remedia non pauca ultimo hoc in casu adhibita fuere. Hirudines quidem in proiecto jam jam morbo cum pulsu debili nequaquam applicare ausi sumus. Eo liberiori manu digitalem purpuream, mercurium, vesicatoria, arnicam &c. adhibuimus, licet nunquam spe sanationis freti. Peculiaris nobis attentione dignum videtur, quod oculi in hac nostra aegra, lacrymis ita innatabant, ac si ea fleret. Vidi hujusmodi symptomata

nuper altera vice, in puella sex annorum, filia excellentissimi gubernatoris rerum civilium Vilnensis, letali hydrocephalo acuto laborante. Inconsciae, uti reor, aegrotulae, pallida facies interdum roseo suffundebatur colore; succedebant leves motus convulsivi muscularum faciei, ac inde lacrymarum multarum secretio. Nunquam vero in hydrocephalo acuto corpus aegri ita statuae instar immobile vidi, quam in puella, tertiae observationis subjecto.

---

## C A P U T X.

*Epilepsia. Chorea St. Viti. Melancholia.*

---

**O**bservatio epilepsiae Famulus, viginti annos natus, robustus, plethoricus, gravioribus laboribus intentus, epistaxi et vermbus olim, ante annum autem diuidium, uti refert, accessui auris sinistrae, sponte extrorsum disrupto, obnoxius, atque ab uno mense praegresso blennorrhoea, doloribus osteocopis nocturnis laborans, die vigesima sexta Januarii MDCCX. mane genuinum epilepsiae paroxysmum, per quartam horae partem protractum, nulla praegressa evidenti caussa, percessus est. Peracto insultu solum de debilitate conquerebatur. Redierunt tres similes paroxysmi, unus scilicet vespere, duoque noctu. Et sequens dies binis insultibus insigniebatur. Die vigesima octava ejusdem mensis suscepto aegro ad clinicum

vespertinis horis, conquerebatur de capitis gravedine, de susurru aurium: pulsus erat 46, plenus durus et tantisper irregularis; pupillae contractae. Duas hirudines narium orificiis applicari jussimus, praescribendo simul decoctum hordei cum nitro et oxymelle, et positionem trunci erectam. *Die trigesima.* Detractis sex unciis cruoris levamen expertus est, nullumque paroxysmum usque ad vesperam, qua umbra illius in conspectum venerat, cum pulsu pleniori quam prima die. Septem cruris unciae e vena brachii educuntur. *Die trigesima prima, mane.* Aeger noctu de cephalalgia conquerebatur, nunc observatur anxius ac vix mente praesens; pulsus 54, plenus, regularis. Habeat ter de die grana duo calomelanos et infusum florum arnicae, *vespere* omnia in melius, aeger animo praesens non nisi de capitis dolore conqueritur. Ita *die prima Februarii.* *Die secunda.* Perstat cephalaea; applicetur vesicatorium nuchae. *Die tertia.* Nil quidem novi, sed magna corporis, praecipue pulsuum irritatio. Porrigitur elixir acidum Halleri. Sic sat bene res ad *diem nonam* usque procedebat. Hic praevia anxietate iterum formalem paroxysmum epilepticum expertus est, subsequentे parva epistaxi, pulsus 75, debilis. Adhibentur anthelmintica, sed alvus sine vermis pluries movetur. *Die duodecima.* Conqueritur potissimum de cephalaea. Exhibentur ter de die grana duo foliorum digitalis purpureae et granum unum calomelanos. Comparente post hebdomadem ptyalismo, seponuntur pharmaca; eoque ad finem per ducto aeger omnino convaluit.

*Epicrisis.* Quasnam indicationes hic sensim sensimque seuti simus, sponte elucet. Arduum autem foret determinare, quo pacto ultimum, quod praescribebatur, remedium profuerit, utrum scilicet specifice in syphilidem agendo, utrum resorptionem extravasati cūjusdam in cranio promovendo? ultimum fere crediderim, de praesentia syphilidis haud certus.

*Observatio choreae S. Viti.* Gracilis fuer, tredecim annorum, studiis incumbens, vix sanato panaritio digiti manus dextrae perpressoque levi terrore, motus involuntarios brachii ejusdem percepit. Motus hujusmodi paulo post caput, et sensim sensimque totum corpus aggressi sunt. Allato aegro ad institutum clinicum die vigesima octava Decembr. MDCCX, clapsso vix primo morbi mense, eoque lecto commisso, continuas hic totius corporis gestulationes observavimus. Rogatus, ut manus pulsuum explorandorum gratia exhiberet, incredibili velocitate nutui satisfaciebat. Non minus prompte interrogationibus respondebat. Gressus vero instituere solebat inaequales, livaricatis quodammodo cruribus, et saepe, fere saltando. Calor et pulsus, caeteraeque functiones normales. Movebatur alvus purgante anthelminthico, at licet sub repetitis evacuationibus nonnulli ascarides lumbricoides secesserint, morbus tamen eodem pacto persistebat. Die decima quarta Januarii exhibebatur infusum herbae chenopodii ambrosiodis, ex uncia semis ad colaturam librae unius paratum. Sumto hoc remedio curriculo nychthemeri omnia in pejus ruebant, ac aeger valde irritatus

videbatur, quamobrem illud seposuimus. Placato tumultu, quo vigente aeger sine pharmacis relinquebatur, redivimus die vigesima tercia ejusdem mensis ad pristinum remedium, imminuta tamen dosi ad drachmas duas. Jam secunda ab usu hujus pharmaci die, gesticulationes imminuebantur. Verum die vigesima septima mensis, febris symptomatibus rheumaticis et catarrhalibus stipata, ut remedium iterum seponeretur, nos coegit. Febrem vero hanc naturae iterum commisimus, nil nisi decoctum malvae praescribendo. Protracta ea per quatuor dies, atque sine ulla evidenti crisi terminata, gesticulationes de hora in horam imminuebantur, ita ut aeger mense Februarii clinicum omnino sanus derelinquere posset.

*Epicrisis.* Febrem hoc in casu salutarem fuisse, nemo facile inficias ibit. Utrum vero ea a chenopodio excitata fuerit nec ne, vix secure stabilire audeo. Eadem adest obscuritas relate ad caussam morbi. Arduum enim foret determinare, utrum aegritudo, de qua agitur, orta sit a praepostera forte sanatione panaritii, an a terrore? quomodo cunque res se habeat, *chenopodio ambrosioidi* debitam in chorea sananda laudem libenter tribuimus, licet haud semper prodesse soleat. Profuit mihi tamen vel nuper iterum in praxi privata, at aliis remedii junctum. Liceat hunc casum breviter in medium afferre.

Nobilis puella, decem circiter annorum, ex Provincia Minsk, summa cura ab optimis parentibus educata, inter alia multa praecipue in calligraphia excellebat. En vero, sine ulla nota caussa dexteritatem hac in arte de die in

diem magis magisque amittere incipiebat. Parentes hoc incuriae adscribentes, plus vice simplici filiam reprehendebant, at incassum. Quin immo, post unum alterumve mensem, scribendi potestas, ob involuntarios motus continuasque gesticulationes brachii dextri, omnino fere delebatur. Tunc solum morbosi quid hic latere parentes detexerunt. At variae erant multorum medicorum opiniones circa nomen, morbo hujusmodi impertiendum, eosque saltem, donecusque eum pro chorea St. Viti declaraverim. Caussam morbi refrigerationi aestuante corpore post exercitium in arte saltandi susceptae adscribens, curam cortice mezerei ad brachia, aethiope antimoniali et chenopodio ambrosioide inchoandam esse suasi, quae felicissime spatio nonnullarum hebdomadum terminata est.

*Observatio melancholiae.* Femina vinti trium annorum, ad octavum vitae suaē annum ab incunabulis abusui aquae vitae dedita, et hoc tempore semper valetudinaria, deīn vero sobrie et sana vixit. Anno aetatis decimo octavo, praeviis animi pathematibus, vestigia maniae exhibuit, quae vero post septem dierum spatium evanuere. Marito nupta, feliciter peperit bis. Ultimo partu vix absoluto, a curis domesticis vexata, incepit aliena loqui, somno destitui, fugam tentare atque sibi ipsi vim inferre. Separabatur a prole, cui ubera praebebat. Postquam tempus domi per duas hebdomades triverit, die vigesima prima Octobris MDCCCIIX ad clinicum suscipiebatur. Corpus emaciatum atque adspectus luridus; oculi moesti cernuntur. Lactis secretio eaque lo-

chiorum haud suppressa. Lingua subsicca, calor sanus, cutis sudore viscido madida, pulsus contractus ad 90, vires non multum fractae, insomnia, subsultus tendinum atque tremores nulli. Quaestionibus vix aut ne vix quidem, aut incohærenter respondebat. Exhibetur camphora supertartriti potassae nupta, applicanturque cantharides cruribus. *Die decima septima.* Jam omnia in melius mutata sunt. Aegra reficiente fruitur somno. Augetur dosis camphorae a granis duobus ad grana quinque omni secunda hora. *Die trigesima.* Aegra mente compos, de debilitate solum conqueritur. Additur camphorae infusum florum arnicae montanae. *Die nona.* Vires auctae; desiderat balneum; conceditur. Adhibito balneo miliaria super totum corpus excepta facie prorumpunt. Evanescent post triduum, relinquuntque patientem sanam. Dereliquit nosocomium die undecima Novembribus.

*Epicrisis.* Dubia premebant, utrum praesens morbus ad vesanias, an ad febrem typhodem pertineret. Hanc videbantur confirmare anni tempus, lingua sicca, sitis, sudor et pulsus sano frequentior. At deficientibus tremoribus, subsultibus tendinum viriumque conspicua prostratione, et praecipue quoniam aegra jam semel vesaniam perpessa erat, morbum pro melancholia declaravimus. Ad camphoram fidenter confugimus, utpote ad remedium in vesaniis puerperarum sat secure effectum praestans, praecipue lenibus evacuantibus nuptum.

## C A P U T X I.

*Angina laryngea.*

---

Tempore, quo medici totius fere orbis terrarum operam dant doctrinae de angina laryngea, vulgo *croup* vocant, praesens caput vel mihi opportunitatem offert, observationes circa hunc morbum, spatio viginti annorum collectas, eo scopo exponendi, ut scribentibus monographiam de hoc morbo materiam, attentione forte hinc inde non indignam, suppeditarem. Et primum quidem dicam, me anginam laryngeam ab anno MDCCXCI. usque ad annum MDCCXCVI, quo tempore praxin *Ticini* exercebam, semel tantum vidiisse. Decumbebat ea graviter adolescens, decimum octavum circiter annum numerans, methodo antiphlogistica sanitati restitutus. Juvenis tunc adhuc medicus, necessitatem cunctas observationes chartis commitendi necdum satis cognoveram, qua de caussa extensam morbi historiam desidero. *Viennae* ab anno MDCCXCVI. usque ad annum MDCCCIV. morbum, de quo agitur, inter millenos aegros, nec semel conspexi. *Vilnae* tandem morbus mihi primum, mense Junii MDCCCVI., in filio architecti *Rossi*, sex annos nato, obuenit. In agone jam constituto aegrotulo, hujusmodi observationem silentio praetereo. Non ita sequentes :

*Observatio I.* Die vigesima octava Januarii MDCCCVIII. suscepta est ad clinicum feminam triginta quatuor annorum, quinque prolium mater, septimo mense gravida, qua<sup>e</sup> postquam refixerat, in febrem catarrhalem incidit. Morbo omnino neglecto, vigesimo illius tantum die auxilium nostrum imploraverat. Invenimus magnam virum prostrationem, febrem cum pulsu frequente, regulari, debili, faciem luridam, linguam sicciam, respirationem difficultem cum sibilo, vocem raucam, exilem; tussin clangosam, sicciam, dolorem ad laryngem, deglutitionem et decubitum haud impeditum, faucesque parum rubentes. Anginae hujusmodi laryngeae symptomata morbo solum ante biduum supervenere. Percepiebat foetus motum. Quoniam aegra vix ad nosocomium allata erat, atque de morbo confuse tantum rationem reddebat, praescripto ad interim decocto radicis orchidis morionis cum syrupo papaveris albi, ulteriori observationi relictâ est. *Die vigesima nona.* Cuncta remisere symptomata. *Die trigesima.* Omnia in pejus, symptomata enim anginae laryngeae vehementer urgent. Ipsa nunc deglutitio difficultis; rubor faucium major, aegraque soporosa. Accusat pristinum laryngis dolorem, se nunc ex utraque parte ad aures usque extendentem. Hirudines decem ad collum; repetatur medicina. *Die trigesima prima.* Nox inquieta erat ob tussin continuam, sub qua aegra frustulum membranaceum, convolutum, longitudine pollicis, simul cum multa lympha coagulabili, rejicit. Magnum exinde levamen accepit. Applicetur vesicatorium ad laryngem, habeat-

que interne calomel. *Die prima Februarii.* Febris jam nulla; respiratio adhuc difficilis, sputa pauca. Habeat et decoctum radicis polygalae senegae. *Die tertia.* Convalescentiae proxima; salivatio nulla, quamvis drachmam unam mercurii dulcis adhibuerit. Habeat decoctum orchidis morionis cum liquore acetatis ammoniae. *Die quarta.* Salutaris appetet diarrhoea. *Die sexta.* Convalescit. *Die duodecima.* Si excipias vocem parumper raucam, omnia secundum normam procedunt. Dimititur.

*Observatio II.* Puella septimum annum agens, admodum formosa, filia mulieris vulgaris, mense Martio MDCCCVIII. in anginam laryngeam incidit. Noctu, tertio morbi nychthemero, aegrotulae suffocationi proximae, cum magno levamine oleum olivarum a matre porrigebatur. Altera die duo frustula membranacea, complanata, longitudinis et latitudinis ad minimum pollicis rejicit, et inde convaluit. Curabatur a cl. professore *Lobenwein* calomelane, et vesicatorio ad laryngem. Vidi aegram rejectis jam frustulis polyposis, quorum firmiora nunquam conspexi.

Eo ipso tempore duo infantes cl. professoris *Spitznagel* noctu simul a symptomatibus hujus morbi correpti fuere. Appositis mox hirudinibus ad collum morbus in incunabulis saffocatus est.

*Observatio III.* *Amalia Abbt*, Praefecti militum filia, quatuor annos nata, collo brevi instructa, formosissima, atque ingenio praecoci praedita, jani spatio hebdomadis motus febriles perceperat, simulque pustulis mihi non

visis ad linguam laboraverat, quum die octava Aprilis MDCCCVIII. derépente a respirandi quadam difficultate corriperetur, quae altera die hora quarta pomeridiana inopinata ita increvit, ut aegra suffocationis periculum incurreret. Hora sexta ejusdem diei primum advocor. Inveni aegrotulam jocis intentam, hilarem. Nec physiognomia, nec pulsus morbosi quid indicabant. Respiratio vero tantisper erat impedita raraque, licet tussis sonum suspectum edebat. Nolens matrem in proiecta graviditate versantem perturbare, suspicionem de possibiliitate latentis *croup* solum patri patefeci. Linctum interea praescripsi. Reversus hora noctis decima, aegrotulam optimo appetitu instructam coenamque sumentem inveni. Praeter respirandi difficultatem, nunc vix perceptibilem, nil prorsus morbosi exhibuit, enim vero vel tussis illa horis pomeridianis observata evanuerat. Jussi, ut continuaretur in lictu, utque, si quid novi contingeret, quacunque demum hora illico advocarer. Aegra noctem inquiete transegit. Altero mane *die decima Aprilis*, *tertia morbi* respirandi difficultas derépente increvit, cum tussi frequenti, sonum clangosum edente, voceque quodammodo rauca. Sciscitata aegrotula de sede doloris, tracheae infimam partem super sternum indicabat. Febris indicia nulla. De praesentia *croup* nihilominus nullo pacto dubitans, lateribus colli octo hirudines admoveri jussi, praescribendo simul emulsionem amygdalinam cum nitrate potassae. *Horis pomeridianis.* Hirudines sex circiter sanguinis uncias detraxere. Cuncta symptomata aucta; respiratio sibilosa, tussis

clangosa, sicca, et febris evidens. Capiat omni hora granum unum calomelanos; applicetur vesicatorium nuchae. Medici alius consilium possci. *Horis vespertinis.* Status rerum idem. Consilio cl. prof. *Lowenwein* augetur dosis calomelanos ad grana duo, atque collo unguentum illinitur ex drachma una tartritidis stibii et potassae cum uncia una axungiae porcinae. *Die quarta morbi, summo manè;* nox pessimæ, tussis clangosa; cum sputis puriformibus et cruentis, sine ulla vero membrana. Respiratio sibilosa, gemebunda. Facies lurida, sublivida, oculi semiclausi consueto nitore destituti, caput reclinatum, mens præsens, pulsus 130, calor urens, cruciatus abdominis. Augetur dosis calomelanos ad grana tria. *Horæ octava matutina.* Vocato in consilium praeter cl. *Lobenwein* et cl. professore *Spitznagel*, aegrotulæ eodem modo se habenti, idem exhibetur remedium. Praescribuntur praeterea sinapismi ad plantas pedum, et unguentum mercuriale collo illiniendum. *Meridie.* Aegra in agone. *Horæ prima pomeridiana:* Moritur. Sectio cadaveris a parentibus nullo pacto conceditur.

*Observatio IV.* Die vigesima quarta Aprilis MDCCCVIII hora octava matutina ab amicissimo clarissimoque professore *Niszkowski* ad filiam quadriennem civis Vilnensis, suburbium *Sarzeo* inhabitantis, ducor. Infans hic, constitutionis scrophulosae, praegressa raucedine per spatium trium dierum, vigesima tertia Aprilis, consuetam amisit hilaritatem atque in febrem incidit continuam, cum tussi clangosa, sputis puriformibus, at nec sanguine nec

membranis stipata. Respiratio difficilis admodum cum sibilo perficiebatur. Nox secuta est irrequieta cum crebro suffocationis pericolo. Invenimus praeter enarrata faciem tumidulam, caput reclinatum, deglutitionemque difficultem. Mirum in modum larynx sub quavis inspiratione attollebatur, et vehementer laborabant musculi abdominales. Dolebat venter, alvus clausa. Octo hirudines collo, et pectori dein vesicatorium admoventur. Interne grana tria calomelanos omni hora. *Horæ undecima.* Aegram cum discipulis clinici instituti adii. Copiosus ab hirudinibus detractus sanguis levamen attulit. Sputa copiosiora; operi ea rejicendi intenta, semel bilem evomuit. Praeter praescripta ordinatur semicupium tepidum. *Horæ prima pomeridiana.* Aegrotula debilior, ac suffocationi proxima. Sibilus respirationis vel in atrio persentiebatur. *Horæ sexta pomeridiana.* Jacet in agone. Mors secuta est inter horam octavam et nonam vespertinam. *Autopsia cadaveris* die vigesima quinta Aprilis, praesentibus cl. *Briotet, Lobenwein, Niszkowski* et me instituta sequentia obtulit. Adspectus cadaveris personæ strangulatae. Color superficie externae epiglottidis normalis. Rima glottidis valde angusta, ac copiosa materie puriformi obducta. Oritur circa marginem inferiorem illius pseudomembrana, quae toti superficie internæ laryngis arcte adhaerens, usque ad annulum septimum tracheæ descendit. Reliqua tracheæ portio usque ad bipartitionem inflammata. Bronchia copiosa spuma sanguinea repleta. Pulmonis superficies externa rosea; substantia

eorum sub compressione digiti vehementer crepitat.

Facta hujusmodi attentionem omnium fere civium et potissimum matrū ad se traxerunt. Ut illis morbus, de quo die noctuque sermocinabant, accuratius innotesceret, utque comparentibus primis illius indiciis mox medici consilium quaererent, societati nostrae medicæ proposui, ut diario publico Vilnensi brevem morbi hujus notitiam inserendam curaret. Arsisit propositum sociis praesentibus, qui negotium hujusmodi notitiam societatis nomine elaborandi mihi commisere. Quoniam autem haec notitia brevitatis caussa medicis et chirurgis ruri praxin exercentibus et libris extraneis haud instructis nequaquam satisfacere poterat, in eorum usum opuscolum de angina laryngea sermonे vernaculo conscripsi \*). Vix publici juris reddito hoc opusculo, mense scilicet Maio MDCCCVIII, duo adhuc casus croup cl. professore *Spitznagel* obvenerunt. Ab eo autem tempore usque ad mensem Septembrem MDCCCIX, nulla amplius inter nos colligebantur nova exempla. Aliter vero dein accidit.

*Observatio V.* Die vigesima octava Septembbris MDCCCIX linguae gallicae cl. professor a *Pinabel* post medium noctem me adiit, infantem suum, puerum duorum annorum, illico in periculum suffocationis incidisse et verisimiliter angina lar. laborare. Accedens invenio aegrotum magna febre laborantem, cum respiratione difficiili, tussi clangosa, voce rauca

\*) O Doznananiu i leczeniu choroby Zapalenia Krtani croup zwany Jozefa Franka. W Wilne. 1808.

facie tumidula, rubra. Interrogato aegro circa doloris sedem, digitum laryngi admovebat. Caussa morbi, uti videtur, mōra in cubiculo humido recenter dealbato. Decem hirudines robusto infanti circa collum applicantur. Detracto multo sanguine tantum levamen secutum est, ut singula morbi symptomata evanuerint. Remansit solum febris, catarrhalis instar, sudore, quarta morbi die, curriculum suum feliciter absolvens.

Mense hoc ipso Septembri duo letalia croup exempla expertissimo nostro practico Dr. Szymkewicz, obvenerunt. Mense Maio MDCCCX cl. Dr. Barankewicz morbi ejusdem in infante novem mensium, ubera adhuc sugente, observavit, calomelane sanato. Eodem fere tempore sequens habui ejusdem morbi exemplum.

*Observatio VI.* Puer robustus septem annorum, filius praefecti militum Dombrowski, suscepto refrigerio e schola leviter tectus redux, ortaque exinde raucedine per triduum, die trigesima Octobris MDCCCX in tussin, respirandi difficultati junctam, incidit, subsequente versus noctem suffocationis periculo. Evanuerunt hujusmodi symptomata altero mane, et ita quidem, ut advocatus ea ipsa die hora prima pomeridiana, vix morbosi quid detegere potuerim. Tuniebant solum glandulae submaxillares, et pulsus tantillum febris indicabat. Quo pacto praegressa nocte laboraverat, absente patre, reticetur mihi. Sua deo lenia diapnoica. Hora quinta pomeridiana pater ipse me adit, se valde dolere aiens, quod mane domi non fuerit, dubitans nempe, quin adstantes mihi veram scenae nocturnae imaginem

exposuerint. Addidit, filium hodie mane fere valentem, hoc ipso momento iterum in paroxysmum, perpresso omnino similem, incidisse. Festino illico in locum ac aegrum invenio ab soluto *croup* detentum. Ut duo adhuc medici in auxilium ducantur, curo. Eliguntur egregius *Sniadecki* et Doctor *Wichert*. Communi nunc consensu gutturi duodecim hirudines applicantur, exhibeturque omni dimidia hora pulvis ex grano uno calomelanos et moscho. Praeterea propono, quod si praesentem paroxysmum nova sequeretur symptomatum quies, cortex cinchonae exhibeat, annua constitutione multum febribus intermittentibus favente. *Die prima Aprilis mane*: nulla remissio immo morbus continuo crescit. Continuetur in pulveribus, atque unicuique eorum superbibat vasculum semis decocti saturati radicis polygalae senegae ac applicetur vesicatorium pectori. *Hora quarta pomeridiana*: Cuncta symptomata augentur, praeter tussin, a matutinis horis omnino deletam. Aegri adspectus miserrimus. Palpebrae, ut in comate vigili, semiclausae; supercilia in arcum adducta, ac si aeger in palpebris elevandis vim adhiberet. Mens omnino praesens. Nares veluti apud equum sub cursu, hiantes. Labiis acuminatis, sicuti sub suctionis opere, aërem attrahit. Respirationes viginti novem in sexagesima horae parte et sonorae. Sonus inspirationis valde ab eo exspirationis diversus, primus enim ille longe magis stridulus. Pulsus 120, debilis, regularis. Multi sudores, magnaque quietudo. Aeger saepe praecipitanter sese in lecto erigit, suffocationem timens. Salivatio

nulla; alvus liquida; vires sufficientes ut trullam petere possit. Moritur hora nona vesperina. Haud permittitur cadaveris sectio.

Mense Januario MDCCCXI cl. Professor *Spitznagel* societati medicae casum croup, pro secunda vice propriam prolem invadentis, retulit. Adhibita in primo morbi limine debitiss auxiliis, vita salvata est. *Croup*, secundo vice invadentis exemplum, letale vero, infra ex propria experientia narrabo. Praemittam illi duo casus ejusdem morbi ex clinico instituto desumtos.

*Observatio VII.* Puella quatuor annorum, habitum scrophulosum exhibens, naturales variolas perpessa, caeterum semper sana, nocte ultima mensis Aprilis MDCCCXI, inopinatae raucedine et violenta tussi corripitur, quaeque per totam sequentem diem continuant. Altera die, secunda scilicet Maii, tussis fortior et clangosa sit, ita ut vomitui ansam porrigat; augetur raucedo, et respiratio difficilis evadit, ad vesperam ejusdem diei clinico committitur instituto. Observatur anxietas et jactatio conspicua, respiratio admodum difficilis et sibilosa, tussis clangosa, nunc sicca, nunc sputis mucoso-puriformibus, sine frustulis membranaceis at cum vomitu absoluta; facies tumidula ex rubro livescens, calor sano vix major, pulsus 120, durus, parumque irregularis. Sciscitata aegra circa sedem doloris, digitum tum laryngi tum ori admovebat. Aperitur vena jugularis, detrahunturque sex unciae cruoris, porrecto simul nitrate potassae cum decocto quodam emolliente. Sanguis eductus firmus,

parum seri minimaque crustam inflammatoriam exhibet; aegrotula debilior, caetera symptomata eadem. *Hora undecima nocturna.*  
 Augetur potius malum; vomitus tamen cessavit. Habeat omni hora grana duo calomelanos; applicetur vesicatorium pectori. *Die tertia Maii; mane.* Crescit morbus, deglutitio, non solum ab angustia respirationis, sed per obstatulum in faucibus impedita; faucium tamen nullus rubor; pulsus 160; debilis, atvus quinques mota. Rec. Calomel., moschi a granum unum, pulveris ipecacuanhae cum opio (pulvis Doveri) granum semis; sacchari grana sex. Misce, capiat omni hora pulverem, superbibendo decoctum saturatum radicis podagralae senegae. Illiniatur collo drachina una unguenti mercurialis. *Vespere.* Non desiliit augmentum capere terribilis aegritudo. *Alius clausus.* Iterum vomitus materiei mucosae. Repetatur frictio mercurialis; continuetur in loco alteris. Versus noctem aegra jam suffocata periiit. *Sectione cadaveris.* Adspectus cadaveris personae suffocatae; superficies tracheae externa tribus morbos offert; rima glottidis a materia glutinosa puriformi obturata; pseudomembrana nulla; interna superficies laryngis, praecipue latus sinistrum cartilagineis thyroideae et valde inflammata; inflammatio haec extenditur usque ad bifurcationem tracheae. Haec ipsa aequa ac bronchia spuma purulenta sanguinea repleta; pulmonum superficies extenuatrosea; portio superior oesophagi naturali rubicundior; cor reliquaque viscera normalia.

*Observatio VIII.* Die decima septimae Maii MDCCXI mater quaedam prolem suam,

trium annorum cum dimidio super brachium ferens, mihi in platea, auxilium querendi gratia, obviam venerat. Jam ex longinquo sibilum respirationis et angorem anginae laryngis proprium animadverti. Confirmabatur diagnosis ulteriori examine. Tertia jam erat morbi dies; caussa illius probabilis refrigeratio et mora in cubiculo recenter dealbato. Ab initio morbi infans saepe vomuerat. Suscepta prole cum matre ad clinicum institutum horis pomeridianis, sequentia observata sunt. Febris valida, facies rubore suffusa, caput reclinatum, respiratio difficultis, sibilosa; vox stridula, tussis cum clangore, nunc sicca nunc sputis puriformibus stipata, deglutitio facilis, ciborumque desiderium haud deletum. Aegrotula continuo manus maribus scalpendi gratia admovebat. De sede doloris interrogatus infans, manum nunc ori, nunc laryngi admovebat. Octo hirundines collo apponuntur, porrigiturque omni hora granum unum calomelanos. *Noctis hora nona.* Facies pallida, labia livida, pulsus 140, calor auctus, alvus octies mota, patiens debilius, caetera in eodem statu. Seponitur calomel, atque illius loco secunda quaque hora drachma dimidia unguenti mercurialis collo illinitur, praescripto simul linctu. *Die decima octava Maii, quarta morbi, mane.* Nox somno transacta, infans serenior, pulsus 130, calor normalis, caput haud reclinatum, respiratio facilior, fere sine sibili, tussis rara, vix clangore instructa; vox sana, alvus clausa. Continuetur unguentum; habeat pro potu infusum florum tiliae et pro medicamento: Rec. olei amygdalarum drachmas duas. Muçilaginis

gummi mimosae niloticae, syrapi althaeae à à  
unciam unam, aquae fontis uncias duas. Cap.  
omni hora cochleare unum. *Vespere.* Exa-  
cerbatio omnium symptomatum atque status  
rerum hesterno omnino similis. Continuetur  
in pharmacis. *Die quinta morbi, mane:*  
nox sat bona; pulsus 125, calor fere sanus,  
caetera symptomata remisere quidem, at non  
multum. Rec. foliorum atropae belladonnae  
grana tria. Infunde c. s. q. aquae fontis fer-  
vidae per quartam horae partem ad colaturam  
inciarum trium, cui adde syrapi simplicis un-  
ciam unam. *Vespere.* Aegra soporosa est,  
calor magnus, respiratio difficilior, tussis cum  
clangore, sicca. Seponatur medicamentum  
atque illius loco pristinum iterum exhibeatur,  
non neglectis frictionibus mercurialibus. *Die*  
*exta, mane.* Symptomatum febrilium re-  
nissio, reliqua in eodem statu, si excipias  
ussin nunc cum sputis puriformibus, sine fru-  
tulis membranaceis, absolutam. Habeat de-  
coctum radicis polygalae senegae et continuet  
in frictionibus. *Vespere.* Conspicua sympto-  
matum remissio; pulsus tamen 130. Conti-  
nuetur. *Die septima mane.* Nova omnium  
exacerbatio. Rec. aquae melissae, syrapi  
inchonae à à unciam unam, extracti cincho-  
nae drachmas duas, M. D. S. capiat omni  
quarta horae parte cochleare cofeanum acce-  
lente nova remissione. Praeterea omni se-  
unda hora clyster ex unciis quatuor decocti  
inchonae saturatissimi. *Vespere.* Tria me-  
dicamenti cochlearia, duoque clysteres adhi-  
biti fuerunt. Nunc symptomatum singulorum  
*intermissio* per horam, dein novus atque

vehementissimus morbi paroxysmus. *Die octava, manè.* Status aegrae pessimus; tussis cum clangore, respiratio 44, laboriosa, sibilosa; pulsus 120, debilis; oscitationes valde frequentes. Cap. omni dimidia hora granum unum moschi, praeterea decoctum polygalae et frictiones mercuriales, ut supra. *Vespere.* Status idem. *Die nona, mane:* Adspectus aegrae terret; decumbit enim reclinato capite, ore aperto; respiratio abdominalis, ad 50, atque ita constituta, ut inspiratio quasi rhonchum, exspiratio autem sibilum exhibeat. Tussis rara, sicca. Continuetur. *Vespere.* Notabilis remissio. *Die decima mane:* Sudavit noctu prima vice, aegra serenior, appetitus ciborum nunquam deletus, major adhuc pristino; respiratio vix a statu normali recedit; continuetur in omnibus, injiciendo omni secunda hora clysterem ex drachma una pulveris cinchonae cum unciis tribus aquae. *Vespere.* Aegra serena, respiratio tamen difficilis 45, pulsus 126. Continuetur in omnibus nec excepto unguento; salivationis enim indicia hucusque nulla, quamvis jam unciae duae et semis unguenti mercurialis illinitae sint. *Die undecima, mane.* Somnus placidus, respiratio 34, fere libera, pulsus 108, elevatior, calor normalis, adspectus infantis sanus. Seponatur moschus et unguentum mercuriale, continuetur in polygalae decocto et in clysteribus ex cortice. Sic, diebus *duodecima, decima tertia et decima quarta.* *Decima quinta.* Infans, licet caeterum sanum exhibeat adspectum, et functiones rite perficiat animales, attamen respirationem adhuc diffi-

cilem cum sibilo offert, dum expergesit, aut post ejulatus, sive a cibis assumtis. Et pulsus frequentiam normalem saepe excedit. Habeat infusum foliorum digitalis purpureae ex granis quinque ad colaturam unciae unius et semis cum dimidia uncia syrapi simplicis. Porro lateribus laryngis cortex daphnes mezerei applicetur. *Die decima sexta, mane.* Omnia bene, excepta angustia respirationis, cum sibilo. Continuetur in usu digitalis; praeterea omni secunda hora granum unum calomelanos. Ita diebus duobus sequentibus. *Die decima nona.* Respirandi difficultas major, novaque tussis cum clangore et screatu difficiili. Rec. radicis cephaelidis ipecacuanhae grana quatuor. Capiat; quo sumto remedio bis cum levamine vomuit. *Die vigesima.* Respiratio facilior, licet adhuc sibilosa; tussis rara, cum sputis puriformibus, caetera bene. Habeat decoctum lichenis Islandici cum lacte. Hoc remedio per spatium quindecim dierum usa est, quo tempore, sanatis ulceribus a cortice mezerei inductis, domum deportabatur, ger- men morbillorum, a vicina, uti videtur, aegra susceptum, secum ferendo. Vix enim domum reversa, morbillos indolis benignae perpessa est. Liberata ab hoc morbo, siniul liberaba- tur a reliquis anginae laryngeae. Sana omnino evasit.

*Observatio IX.* Filius quadriennis Di. **Pinabel**, cuius primi morbi historiam observa-  
tio quinta exhibet, die trigesima Julii MDCCCXI,  
postquam vespertinis horis diei antecedentis  
temperiei humidae subsfrigidaeque expositus  
fuerat, atque forte vel errorem in diaeta com-

miserat, a febre correptus est. Altera mane sanus videbatur. Obtulit solum speciem hidrorum circa labia, qua jam dudum laboraverat. Ad vesperas nova febris frigore invadit. Suspicor de intermittente. *Die prima Augusti, mane.* Noctu multum sudavit; pulsus tamen non omnino apyrecticus; quaedam tussis. Praescribitur solutio nitratis potassae cum syrupo mannae. *Vespere.* Nulla exacerbatio. *Die secunda.* Nox sat bona; febris vix aliqua, infans serenus; tussis rara, pectoralis; conqueritur de faucium dolore, quae inspectae, praesertim ad tonsillam dextram levem inflammationem exhibent. Glandulae submaxillares tantisper tumidae. De sede doloris accuratius sciscitatus, decursum muscularum sterno-mastoideorum indicat. Inter multa, nonnulla verba rauca profert. In hujusmodi symptomata attentus, fertur id per accidens ac joci gratia contigisse. Horis pomeridianis aeger vomitum patitur, prandiumque, cum appetitu sumtum, rejicit. *Hora septima vespertina.* Hilaris adhuc potum theae cum pane bis cocto bibt. At elapsa media hora, en maximas angustias cum suffocationis periculo. Advocor illico, atque missum in summo rerum discrimine constitutum invenio. Cuncta enim praesto sunt gentilitia exquisitae anginae laryngeae symptomata; praeter id, quod circa sedem doloris interrogatus aeger, non medietatem laryngis sive os, sed locum supra memoratum designet. Facies tumidula, oculi prominentes, respiratio stridula, abdominalis ad 36, pulsus 30, parvus, durus. Vox non rauca. Applicantur mox decem hirundines collo, atque multus detrahitur sanguis.

Advocandos curo et alios medicos; advocatur cl. Niszkowski. Exhibemus illico solutionem tartratis stibii et potassae, et cum vomitum non moveret, porrigimus nonnulla ipecacuanhae grana, quibus assumitis vomitus sine levamine sequitur. Praeterea in usum ducuntur balnea pedis cum farina sinapis, vesicatorium ad pectus, et unguentum mercuriale, cujus uncia brachiis illinitur. At omnia incassum. Augetur enim potius malum; et ita quidem, ut, vix elapsis duabus horis, agoni proximus dici possit. Mente adhuc praesens, invincibile dormiendi desiderium accusat. Palpebrae in-vito aegro super oculos decidunt. Verum miser vix lecto se committit, cum jam a maxima inquietudine angetur. Auxilium quaerendi gratia parentes atque adstantes amplectitur, atque medicamenta, quae prius respuerat, ipse iterum iterumque expetit. Versus mediam noctem de dolore ad ipsum laryngem conqueritur. Pulsus 120, debilis. Exhibetur aqua florum tiliae cum liquore acetatis ammoniae. Sequitur breve symptomatum levamen circa horam quartam matutinam. Hora sexta omnia iterum in pejus ruunt. Ipsi laryngi nunc apponitur vesicatorium. Aeger jam jam vix sibi conscientius, hora matutina nona ejusdem diei animam efflat. Caput solum ultimis vitae momentis reclinabatur. Sectionem cadaveris desperabundis parentibus nec proponere audemus.

*Epicrisis generalis.* Ex cunctis observationibus concludimus: 1) anginam laryngeam decenniis proxime elapsis longe rarius obvenisse, quam praesenti aevo, quo scilicet omni die fre-

quentia crescere videtur. 2) Inter omnes causas hujus morbi, qui medicis vilnensibus supra allatis spatio quinque annorum acciderunt, nec unum fuisse, qui in *Judeo* locum habuerit, licet homines fidei hebraeae addicti tertiam fere incolarum partem constituant, et magis anxie, quam christiani facere solent, medicorum auxilium quaerant \*). 3) Anginam hanc neo adultis, nec gravidis, nec lactantibus semper parcere. 4) Eandem posse tum sub curiculo febris catarrhalis evolvi (Obs. I.), tum tali febre relicta abigi (Obs. V.). 5) Affectionem laryngis interdum febrem praecedere (Obs. III.). 6) Morbum hunc interdum (Obs. VI.) remissionibus ita conspicuis instrui, ut medicus, aegrum extra paroxysmum solum videntis, nisi illi exacta anteactorum fiat narratio, de latente pessima aegritudine nec suspicionem alere, eoque minus morbum cognoscere possit. 7) Cubicula recenter dealbata non raro morbo huic ansam porrigere. 8) Anginam hanc plus vice simplici eundem aegrum aggredi posse. Et 9) probabile esse, quod angina laryngea, aliarum inflammationum instar, hinc inde *indolem induat periodicam*, constituantque ita morbum nomine *febris inter-*

\*) *Lentin* (Memorab. p. 36) et *Thilenius* (medic. Be merkungén p. 294) observarunt, et propria mea experientia confirmavit, infantes, morbo cutis laborantes, lenius a *coqueluche* affligi. Maxima *Judeorum* nostratum infantum pars psora laborat. An hoc cutis vitium anginam nostram quodammodo antevertit? Forte antevertitur magis terribilis morbus apud *Judaeos* a graciili et debili illorum compage, notum enim est, anginam laryngeam potissimum robustos infantes aggredi.

mittentis perniciosaे trachealis haud indi-  
gnum, cuius tamen morbi praesentiam prius  
haud admittendam esse censemus, quam ea  
ab ulterioribus observationibus confirmata  
erit.

Quoniam croup sistit *inflammationem*  
tracheae, quoniam in inflammationibus, sal-  
tem recentissimis, frigus conductit, et quo-  
niam in morbo, consueta auxilia eludente,  
omnia tentare licet, prima porrecta opportu-  
nitate anginam laryngeam recentem pertractan-  
di, *glaciem contusam laryngi imponemus.*

---

## C A P U T XII.

*Angina pectoris. Polypus cordis.*

---

**Q**uamvis *angina*, sive *angor pectoris*, ut-  
pote anno MDCCLXXII jam descriptus \*), nequa-  
quam inter morbos novos recenseri queat; at-  
tamen illius exempla ita medicorum adhuc ad  
se trahunt attentionem, ac si novum respice-  
rent morbum. Casum vero angoris pectoris,  
quem in medium allaturus sum, eo magis me-  
moratu dignum censeo, quoniam proprietates  
nonnullas peculiares atque haud communes  
exhibit. Primum enim locum obtinuit in *fe-  
mina*, quae in genere morbo, de quo sermo  
est, longe minus subjectae sunt, quam mares.  
Inter tredecim saltem aegros angina pectoris

\*) Medical transactions published by the college of  
physicians in London. 1772. Vol. 2. p. 59.

laborantes, duas solummodo feminas numeravit egregius quondam *Wichmann*<sup>\*)</sup>). Porro femina nostra vel a prima juventute *habitum corporis obtulit haud obesum*, quod opinionem *Wichmanni*, non solum obesos, ut vulgo creditur, angina pectoris laborare, novo facto confirmat. Afferit tandem eximius hic de diaguosi morborum pectoris scriptor, aegros hujusmodi omnes a se visos, ultra quinquaginta aetatis annos numerasse; aegra contra, de qua agimus, *vix annum quadragesimum superabat*, atque menstruis adhuc instructa erat. Nec in ea animadvertebantur vestigia diatheseos arthriticae, sicuti plerumque apud feminas angina pectoris laborantes observari solet. Postremo haud commune est, aegram nostram dolores non solum in brachio sinistro, sed in utrisque expertam esse. At quorsum narrationem casus ipsius anticipamus?

*Observatio.* Lotrix, mediocris constitutionis, quadraginta circiter annos nata, rite semper menstruata, unius prolis mater, liquoribus fermentatis haud abutens, optima, quounque recordatur, gavisa est sanitate ad decimum sextum aetatis suae annum usque. Hic enim elevando partem superiorem machinae linteis laevigandis aptae, lapidibus magnis oneratam, illico vehementem pectoris dolorem, ac si quid in eo cum strepitu ruptum esset, persensit, subsequente lipothymia. Sine ullo artis auxilio sensim sensimque excitata, pristinæ sanitati restituebatur, nisi quod incommodis haud paucis sub quolibet vehementi

<sup>\*)</sup> Ideen zur Diagnostik. Hannover 1797. 2r Bd.  
p. 151.

corporis motu, praecipue adversus ventum experiretur. Hoc enim in casu, spiritus intercipiebatur, cum omnium artuum, nequaquam vero pectoris, doloribus, quae singula eosque durare solebant donec usque aegra quiete frui poterat. Nulla corporis positio illi majoris tunc afferebat levamen, quam flexio truncic ad anteriora, non neglecta simul compresione regionis epigastricae ope manuum illi vehementer admotarum. Mense Septembri MDCCX lustramini exercitus nimis propinqua, copiis equestribus illi magna celeritate obviam venientibus, in praecipitanti fuga auxilium quaerere coacta fuit. Oriebatur antiqua malorum cohors, quae placata, serius nunc jam minimo instituto motu redibat. Rediit majori quam unquam vi, dum mense Martio MDCCXI, currum linteis madefactis onustum, a flumine Vilia ad propriam domum trahebat. Ab eo enim tempore ad diem decimum Aprilis ejusdem anni, qua in clinicum recipiebatur, decies et ultra de die, nulla quidem non hora, verum praecipue versus solis occasum, ab angore pectoris corripiebatur. Duratio paroxysmorum erat varia, nunc enim solum ad quartam horae partem, nunc ad integrum horam extendebantur. Minimae res paroxysmum excitabant, potissimum vero animi pathemata, sermocinatio, motus parvus licet, e. c. sub manducatione, vel sub alvina depositione institutus, ita cibi laetus, quam solita erat, assumti, decubitus in unum alterumve latus, praecipue vero in sinistrum protractus &c. Temperiei mutationes nullo pacto in morbum influebant. Sequenti vero modo paroxysmus

decurrere erat solitus. Incipiebat levi anxietate, oscitatione et pandiculatione, sub qua aegra brachia supra caput attollebat. Mox vero dolor pungens regionis epigastricae inguebat, sese rapide ad partem superiorem sterni, ad spinam dorsi, ad latera colli, nec non per utraque brachia ad apices digitorum usque extendens. Aegra tunc jam maxime angebatur, atque suffocationi proxima, sub cito et laboriosa saepeque interrupta respiratione, sedebat, truncum undique volutando. Facies morientis instar hominis, aequa ac brachia livida, atque sudore copioso, frigido, viscido cooperta. Maxilla inferior superiori arcte admovebatur, lacerabaturque interdum lingua. Pulsus frequens, *regularis*, vibrans. Vergente versus finem paroxysmo suspiria, gemitus, et flatuum eructatio in conspectum veniebant, quo facto angores constanter remisere. Paroxysmo autem omnino finem impone solebant tussicula cum sputo mucoso puriformi. Vel eo terminato per nonnulla horae momenta adhuc frigebant atque livebant antibrachia. Caeterum aegra tunc de nihilo conquerebatur, si excipias sensum amisae valetudinis verbis haud designandum. Percusso thorace digitis, sicuti docent cl. *Auenbrugger* et *Corvisart*, quo decet resonabat modo. Oedema nullibi; urina, alvus &c. normales. Erant vero paroxysmi variae magnitudinis impetus. Tres illius formas sive gradus egregius, qui hujus morbi historiam chartis commisit, candidatus \*) statuit. Paroxysmum,

\*) Dom. *Chrzczonowicz*, M. D.

scilicet *levem* nuncupaverat, sub quo solum  
anxietas, cum dolore ad regionem epigastri-  
cam et ad pectus obveniebant; *fortem* vero,  
dum hujusmodi dolor cum majori anxietate  
et respirandi difficultate, ad spinam dorsi et  
ad latera colli extendebatur, et *fortissimum*,  
dum dolor, de quo sermo est, ad digitos usque  
pervenerat, praesente sudore frigido, angore  
et agitatione summa, nec non suffocationis  
periculo. — Ad pharmaca quod spectat, varia  
in usum duximus, non neglectis fonticulis ad  
crura. Tinctura antimonii omni effectu desti-  
tuebatur. Ita digitalis purpurea, diversis sub-  
formis suppeditata. Levamen attulit extractum  
lactucae virosae; nil vero aegrae magis con-  
duxit tinctura castorei, aetheri, atque opio.  
Valde sublevata, ac omni tertia sive quarta  
tantum die paroxysmum unum alterumve  
plerumque levem experiens, clinicum mense  
Junio dereliquit. Notatu potissimum dignum  
est, quod sub quavis menstruorum periodo pa-  
roxyymi omnino desiderabantur. Voluisse  
ob id ad venae sectiones confugere, nuper ab  
Anglis commendatas, at candide fateor, non  
ausus sum.

Ad latera hujuscemodi historiae aliam,  
similis fere morbi, ponamus:

*Observatio.* Die decima octava Maii  
MDCGCXI, vir quinquaginta octo annorum in  
clinico instituto obiit. Secto cadavere in ven-  
triculo dextro cordis *polypum* substantiae mem-  
branaceae tenacis, longitudinis trium polli-  
cum, unius vero pollicis latitudinis, deteximus.  
Libere in cavitate hujusmodi polypus fluctua-  
bat, apicem ita bipartitum offerens, ut una

extremitas ostio venoso, altera ostio arterioso responderet. Caeterum, sedulo licet instituto examine, nil vel in corde, vel circa illud, quod contra normam fuisse, detectum est, si excipiamus arteriam thyreoideam inferiorem, quae originem suam nequaquam a carotide, sed ab arteria innominata trahebat. Turgebat praeterea atro sanguine vena subclavia sinistra, nec non jugulares ejusdem lateris. Pulmones sani, a libris circiter duabus seri flavescentis circumdati. Viscera abdominalia normalia; exceptis intestinis praecipue colo maxime aëre distentis. Aeger, cujus cadaveris sectionem, consulto morbi historiae praemissimus, sequenti modo laboraverat. Officio operarii fungens, atque liquoribus fermentatis abutens, sanus vixit, si excipiamus haemorrhoides coecas, quibus sine magno incommodo hinc inde obnoxius erat, donec ille mense Decembri MDCCX, summo frigori sese leviter vestitus exposuerit, quo facto a gravi, uti refert, febre catarrhalis correptus est. Ea, sine artis auxilio devicta, tussis, cum sputis tenacibus, haud tamen cruentis, remansit, non sine conspicuis doloribus ad sternum, ad scapulas, et ad lumbos, deleto simul ciborum desiderio. Pristina negotia nihilominus suscipiens, magnam percepit debilitatem, cum cordis palpitatione. Malum spernens illi nullam opposuit medelam. Mense tandem Aprili versus finem vergente, dum cum filio suo, majori, quam solitus erat, velocitate, proximam sylvam petebat, inopinata ita viribus fractus est, atque visu nec non voce orbatus, ut mentis licet compos, humum prosterneretur. Ferebatur

ad propriam domum, ubi brevi post antiquus rerum status rediit. Altera vero die, en sine nova apparente caussa, novus atque diei praecedentis similis paroxysmus; quorum dein unus alterve omni nychthemero, nocturnis praecipue horis redire solebat. Tempore libero aeger sputa spumoso-cruenta cum levamine excernebat. Sub hac rerum conditione die quinta Maii ad clinicum receptus est. Invenimus staturam mediocrem, corpus emaciatum, collum breve, oculosque profunde in orbitis positos. Percusso lege artis thorace, cavitas illius dextra sonum longe clariorem quam sinistra edebat. Conquerebatur aeger praecipue de dolore ad regionem epigastricam et ad sternum. Primus ille attactu augebatur. Decubitus ad latera denegatus. Respiratio vel extra paroxysmum difficilis et sonora, frequentiae normalis; pulsus 108, sub inspiratione solum intermittens, in brachio dextro fortiter vibrans, in sinistro debilis, contractus. Sitis nulla, appetitus bonus, alvus tarda, urina normalis, oedema nullum. Quo tempore sua narrabat aeger, illico anxius factus est, adventum praedicens paroxysmi, qui revera post pauca horae momenta sub sequenti forma ingruit. Jam miser, omnino licet mentis compos, facultate vel minimum sonum edendi aut guttulam deglutiendi destituebatur. Mortientis instar hominis, divaricatis cruribus expansisque manibus, frigore marmoreo correptis, super dorsum jacebat. De sede doloris sciscitatus, manus alternatim regioni epigastricae et sterno, nec non scapulis admovebat. Facies erat hippocratica, et veluti totum

corpus, sudore frigidō viscido cooperta. Respiratio animadvertebatur gemebunda, sonora, atque inspiratio exspiratione longe difficilior. Fiebat enim illa triplici fere nixu, ac conspiquo cunctorum fere muscularum, nec excepto diaphragmate, labore. Pulsus interea evadebat summopere irregularis et exiguus. Magna vero vi micabant cor et cunctae lateris sinistri arteriae, praecipue carotis, poplitea, atque dorsalis pedis (quae secto cadavere nil abnorme obtulerunt). Jugulares oscillationes offerebant, respirationi quodammodo respondentes. Rerum hic status integrum perduravit horam. Finis paroxysmi a tussi et flatuum copiosa explosione annuntiabatur, quo facto pristinus sensim sensimque status credibat. Vigente paroxysmo, indicatam alias venae sectionem in aegro exhausto nobisque necdum satis noto instituere haud ausi sumus. Caeterum plane impossibile erat aegro medicamenta tum ore suppeditare, tum ope clysterum injicere; nullo enim pacto, ut corpus moveretur, concedebat. Quamobrem solum acetum radicale naribus admotum est non neglectis frictionibus totius corporis. (Aeger elapsò paroxysmo fassus est, se nequaquam odorem aceti percepisse). Ea ipsa, qua in clinicum suscipiebatur die, quinque paroxysmos sustinuit, quibus finitis infusum foliorum digitalis purpureae cum floribus papaveris rhoeados porrigebatur. Die secunda ingressus. Nullus paroxysmus. Die tertia, mane. Paroxysmus unus ab hora octava cum dimidia usque ad horam nonam cum dimidia. Fonticuli duo ad brachia, dein praeter remedium

hesternum, Rec. Kermetis, Extracti Aconiti à  
 granum unum, pulveris gummosi grana decem.  
 D. S. ter de die pulverem. Pro potu infusum  
 stipitum solani dulcamarae et radicis amomi  
 zingiberis. *Vespere.* Paroxysmus ab hora quar-  
 ta usque ad quintam fere. *Die quarta mane.*  
 Nox bona, multa sputa cruenta, pulsus regu-  
 laris, 65; *vespere:* paroxysmus illi hesterni  
 diei similis, dein alter serius, sub quo aeger  
 sese moriturum credidit. *Die quinta, mane.*  
 Dormivit, pulsus 60; facies serenior. Loco  
 pristini potus, habeat decoctum polygalae se-  
 negae. *Vespere:* paroxysmus nullus. Ita *die*  
*sexta.* *Die septima, mane.* Somnus a tussi  
 perturbatus. Hora octava paroxysmus unius  
 horae, sed cum minori respirandi difficultate.  
*Die octava.* Paroxysmus nullus, sed dolor  
 magnus sub axilla sinistra. *Dies nonus et de-*  
*cimus,* a paroxysmo liberi. Ita *undecima,*  
 qua pulsus ad 48. *Die duodecima.* Somnus  
 optimus, respirandi difficultas minor, aeger  
 serenus, pulsus 56. *Die decima tertia.* Heri  
 vespere de pondere ad laryngem conquereba-  
 tur. Hodie dum prodromos paroxysmi perci-  
 peret, guttas ex tinctura castorei, aethere  
 sulphurico, et tinctura opii composita sumsit,  
 quo facto ulteriori malo obstitit. *Die decima*  
*quarta.* Hora sexta matutina mutationi indu-  
 sii intentus, quin tempus ad guttas confugiendi  
 haberet, a paroxysmo fortissimo, ad horam  
 tertiam pomeridianam extenso, correptus est.  
 Eo finito de maxima conquerebatur debilita-  
 te, nec non de magnis doloribus ad partem  
 superiorem sterni, ad regionem epigastricam,  
 nec non ad eam cordis. Praeterea erat aeger

valde inquietus. Ita noctem transegit. Altera die enjam hora quarta matutina paroxysmum, post unius horae cum dimidia curriculum vitae finem imponentem.

---

### C A P U T XIII.

#### *P h t h i s i s p u l m o n a l i s.*

---

*O bservatio I.* Vir septuagesimum annum numerans, diu tussi laborans, et nuper, uti fertur, peripneumoniam percessus, die decima nona Maii MDCCCIX ad clinicum institutum deportatus est. Praeter consueta phthiseos pulmonalis symptomata, tumor magnitudinis pugni, in sinistri thoracis latere, inter tertiam et quintam costam veram, quinque digitos a medietate sterni distans, observabatur. Tumor hujusmodi sub attactu fluctuationem et crepitum, nullam autem pulsationem, exhibuit. Praescribuntur semina phellandrii aquatici. Die *vigesima tertia mensis*. Aeger suffocaturus. Cultro aperitur tumor, quo facto sex circiter unciae puris cruenti cum levamine et subsidente ipso tumore, effluxerunt. Examinato ulcere ope specilli, instrumentum hoc profunde in cavitatem pectoris intrabat. Continuavit effluvium ichoris ex eo per mensem circa, quo tempore aeger, antea a variis remediis sublevatus, suffocatus periit. *Secto cadavere* pulmonem sinistrum magna ex parte

consumtum, cavitatemque suam pure repletam deteximus. Praeterea costae tres, quo loco tumor erat, ita a carie consumtae detegebantur, ut inter interstitium pugnum immittere potuerim.

*Observatio II.* Puella formosa, octodecim annorum, catamenia irregulariter patiens, semper sanam duxit vitam, si excipias speciem tineae capitis, qua ante nonnullos annos se laborasse asserit, quoque malo praepostere sanato, in ophthalmitidem incidit, opportuna methodo profligatam. Die vero decima sexta Novembris MDCCCX, praevio fortiori ingratoque animi pathemate, febre correpta est, fortissimis symptomatibus catarrhalibus stipatam, quae neglecto morbo ita increverunt, ut aegra die vigesima prima ejusdem mensis pleuritide, sic dicta spuria laborans, ad clinicum institutum deportaretur. Instituitur vena sectio, adhibeturque caeterum regimen antiphlogisticum, non neglecto tandem vesicatorio ad pectus. Decrevit sub hac methodo sensim sensimque morbus, ita, ut aegram convalescentiam attingisse dixisset, nisi pulsuum haud imminuenda frequentia (ad 120) et tussicula suspicionem vitii pulmonis a praegresso neglectoque morbo, in puella forte jam antea tuberculis laborante, relicti, movisset. Hujusmodi suspicio quaque die magis confirmari videbatur corporis macie, febricula pomeridiana cum sudoribus nocturnis, nec non tussi, sputis puriformibus stipata. Desiderabantur praeterea menstrua. Digitalis purpurea, pulvis ipecacuanhae cum opio, extractum hyoscyami nigri, lichen, ulcera artifi-

cialia, aliaque multa spatio trium mensium incassum adhibebantur. Solum sputa meliora atque peculiarem omnino indolem induerunt. Facta enim sunt candida, cremoris lactis instar, et spissa nec non admodum copiosa. Addita hisce sputis, secundum methodum a cl. *Grasmeyer* traditam \*), solutione saturata subcarbonatis potassae (Oleum tartari per deliquium), coagulum vix aut ne vix quidem ortum est, sicuti oriri solet, dum pus sive materia puriformis simili experimento subjiciuntur. Conclusimus igitur sputa aegrae nostrae praincipue *mucum* sistere, unde eo magis quaedam sanationis spes affulsit, cum plus vice simplici observaverimus, febrem lentam chloroticarum ita morbosa secretione bronchiorum aliquando stipari, ut omnino Jarvam phthiseos pulmonalis offerat. Confugimus nunc ad elixirium acidum Halleri, ad pediluvia, semicupia, non neglecta digitali purpurea. Perducta aegra ad diem octogesimam octavam morbi, inopinata omnium symptomatum levamen, atque febris hecticae totalem extinctionem obtulit, evoluta simul *plica*, ad latus dextrum partis capillatae capit. Solum tunc innotuit, sororem aegrae simili quondam laborasse morbo. Seposuimus igitur nunc omnia pharmaca, pectinationem severe prohibendo. Ita sub continuis sudoribus, a quibus vires evidenter recreabantur, plica magis magisque evoluta est. Die decima sexta Martii MDCCXI, praevio fluore albo, menstrua

\*) Abhandlung von dem Eiter und von den Mitteln, es von allen ähnlichen Feuchtigkeiten zu unterscheiden. Göttingen 1790. 8.

in conspectum venere. Aegra obesa facta, atque praeter plicam, nil morbosi offerens, die tertia Aprilis domum petiit; et post anni curriculum sanam dicit vitam.

*Epicrisis.* Meretur haec historia cum simili observatione a cl. *Alibert* allata \*) comparari. Caeterum non est credendum, evolutionem plicae *semper* crisin morborum, ab ea originem repetentium, constituere. Vidimus enim non raro cuncta incommoda, ex plicosa diathesi orientia, irrita evolutione trichomatits, continuasse, quod probe notandum.

---

#### C A P U T XIV.

D y s p h a g i a .

---

**D**uo dysphagiae inter exempla, unum habuimus indolis syphiliticae, quod nil memorabile offerebat, alterumque, cuius descriptio hic sequitur:

*Observatio.* Femina quinquaginta annorum, undecim prolium mater, sanae constitutionis, alcoholis usui dedita, retro quinque menses a marito ruditer repetitis vicibus ad dorsum pugno percusso fuit, relicto magno ad partem affectum dolore. Vix elapso duarum hebdomadum curriculo, aegra obstaculum in cibis, praesertim solidis, deglutiendis persensit.

\*) Description des maladies de la peau. Paris 1806.  
Des pliques.

Impediebatur corporis erectio. Simul catamnia defecere. Die vigesima prima Maii MDCCCVIII aegra ad clinicum institutum suscepta, corpus exhibuit emaciatum, truncum antrorsum incurvatum, tussim, respirationem liberam, febremque nullam. Conquerebatur adhuc de dolore ad vertebram quintam dorsi, quo in loco nullum vestigium morbosum exterius comparuit. Aegra frustulum panis, nec aquae auxilio, deglutire potuerat. Vomitum enim id post pauca horae momenta, sub magnis angustiis rejicit. Fatebatur se angustiam oesophagi parum infra indicatum spinae locum percipere. Revera os balaenae, spongia in apice munitum, orique cautissime introductum, ad ventriculum usque haud premi potuerat. Adhibita quadam vi, aegra parum doloris percipiebat. Spongia extracta nec puris, nec sanguinis vestigia exhibebat. Praescribebantur frictiones dorsi operis saponis ammoniacalis, victus liquidus nutriens, clysteres ad alvum valdopere tardam sollicitandam, calomel, et infusum florum arnicae montanae. Post spatium nonnullorum dierum, praegressis copiosis alvinis evacuationibus, salivationis prodromi in conspectum venere. Interea deglutitio de die in diem facilior fiebat. Prima vice, qua carnem iterum gustaverat, ea vomitu rejecta est. Die quinta Junii femina, omnino sana, nosocomio valedixit.

*Epicrisis.* Nemo facile inficias ibit, oesophagi malum, hic ex specu vertebrali originem duxisse. Mirum vero est ex hac caussa, plerumque oesophagi paralysin et *amplitudinem* generante, nostro in casu *angustiam* ortam esse. Caeterum sectiones cadaverum me cer-

tiorem reddiderunt, ambo hujusmodi vitia, amplitudinem nempe et angustiam, *simul* in oesophagi tractu existere posse. Imo haec videtur hinc inde effectus illius. Notum mihi enim est exemplum nobilis feminae, ubi, praegressa chronica dysphagia indolis spasmodicae, sectio cadaveris, aegrae ex phthisi pulmonalis demortuae, *dilatationem* oesophagi conspicuam exhibuit.

---

## C A P U T XV.

### *Cardialgia. Vomitus.*

---

*Observatio cardialgiae.* Puella tredecim annorum, regulariter quinques de die, id est hora septima et undecima matutina, et tertia, sexta et decima pomeridiana, a tribus hebdomadibus, a diro ventriculi dolore excrucianti, ad duodecimam circiter horae partem, quavis vice extenso. Elapso paroxysmo, relinquebatur conspicua debilitas, anxietas et cephalaea. Aderant praeterea nonnulla vermium symptomata. Delata aegra die vigesima Martii MDCCCX ad clinicum, haustum aquae frigidissimae tempore paroxysmi tanto cum rerum successu exhibuimus, ut illico dolor cessaret. Adhibita dein anthelmintica, copiosa vermium, ascaridum scilicet lumbricoidum evacuatione, morbo omnino finem imposuerunt. Puella die decima Aprilis sana dimissa est.

*Observatio vomitus.* Femina triginta sex annorum, gracilis, plica laborans, septem prolium mater, iterumque septimo mense gravida, a sex hebdomadibus cephalaea, nausea, salivatione, et vomitu, sicuti in ultima praeterita graviditate, ita et nunc continuo fere cruciabatur. Die decima Decembris MDCCXIX ad clinicum institutum suscepta est. Exhibuimus Rec. pulveris radicis cephælidis ipecacuanhae granum unum. Sacchari drachmam unam. D. in quatuor partes, capiat ter-tia quaque hora pulverem. Assumtis hujusmodi pulveribus vomitus illico cessavit, nec serius rediit iis continuatis. Reliquis incommodis, excepta salivatione, elixirium acidum Halleri remedium suit.

*Epicrisis.* Virtutem radicis ipecacuanhae in minima dosi adversus vomitum gravidarum aliumque, ex atonia et nimia ventriculi sensibili-tate pendentem, jam aliquoties expertus sum, ita ut hujusmodi remedium hic, usui aquae frigidissimæ et glaciei nisi anteponendum, saltem aequiparandum esse censem.

---

## CAPUT XVI.

Hepatitis. Icterus.

*Observatio hepatitis in lethalem peripneumoniam conversae.* Virgo triginta quinque annorum, lotrix, torosa, perfecte sana, sine ulla evidenti caussa, die vigesima quinta Novembris MDCCCVII, a magna febre cum cruciatu ad regionem hypochondrii dextri, drepente correpta est. Sauciabatur domi vena, sine ullo levamine, imo subsequente longe majori virium prostratione. Delata aegra tercia morbi die ad clinicum institutum, conquerebatur de doloribus ad hepar, nec non ad claviculam et scapulam lateris dextri. Vel decubitus in hujusmodi latus, denegatus erat. Praeterea tussis sicca, respiratio profunda impossibilis, febris magna, cum pulsu ad 124, inconstante, parvo, subsultus tendinum, virium prostratio conspicua, alvus clausa, et urina profunde tincta, haud tamen tingens animadvertebantur. Applicatur vesicatorium ad regionem hepatis, praescripto simul leni diapnoico. *Die quarta morbi.* Cuncta hepatitis symptomata evanuere, supervenientibus inopinate iis peripneumoniae. Caetera in eodem fere statu, pulsus tamen debilior, 142. Habeat decoctum radicis polygalae senegae, alternatim cum camphora. *Die quinta.* Om-

nia in pejus. Praeter praescripta vesicatorium ad pectus. At, omnia incassum, aegra enim, accedente prius delirio, dein sopore, die morbi nona obiit. *Sectio cadaveris* exhibuit superficiem pulmonum roseo notatam colore, substantiam vero visceris sanam, si excipiamus internam superficiem bronchiorum etiam rubentem, atque spuma sanguinolenta repletam. Liquor extravasatus nullus. Hepar normale.

*Epicrisis.* En morbum revera malignum, indolis, uti videtur, rheumatico - typhoideae. Voluissem quidem comparentibus symptomatis peripneumoniae ad venae sectionem confugere, verum primae venae sectionis effectus terrebat, terrebantque pulsuum atque virium conditio. Mirum sane est, praesentem hepatitidis casum, unicum, inter tot aegros, ad clinicum institutum quatuor annorum curriculo susceptos, esse, eoque magis mirum cum morbi hepatis in genere admodum communes sint in Lithuania. Inter eos praeципue icterus autumno MDCCCVII nec non hyeme subsequente, grassabatur, praeципue in hominibus diarrhoea vel dysenteria epidemica ejusdem anni prius affectis. Idem accedit Regionis montii, fatente egregio *Hufelandio*. Nil autem, quod peculiari attentione dignum esset, icterus hujusmodi obtulit. Profuere lenia evacuantia amaris remediis mixta. *Acidum nitricum*, quocum multa experimenta hoc in morbo institui, si excipiam sequentem observationem, effectu fere omnino destituebatur.

*Observatio icteri.* Vir triginta quatuor annorum, bene constitutus, novem abhinc

annis, febrem intermittentem percessus erat, qua fugata, remanserunt ventriculi incommoda, minima porrecta occasione iterum iterumque recrudescentia. Praegresso fortiori animi pathemate, in icterum incidit. Quarta hujus morbi hebdomade, die scilicet nona Maii MDCCCVIII in clinico nostro auxilium quae sivit. Praeter flavedinem cutis, animadvertebatur tensio hypochondrii dextri, alvus tarda, faeces griseae, urina pauca valde tincta multumque tingens. Exhibito acido nitrico diluto a drachma semis, sensim sensimque ad drachmas duas in libra una aquae, addito syrupo ad gratum saporem, illico urinae fluxus augebatur, et serius evidenter reliqua symptoma icteri imminuebantur, remanebat enim solum quaedam cutis flavedo, tractu temporis sub usu remediorum amaricantium fugata.

*Observatio altera.* Virgo viginti quinque annorum, a quatuor mensibus catameniis orbata, praegressa, non sine febre, oppressione dolore que ventriculi, in icterum incidit. Tertia ab hoc ultimo morbo hebdomade, die scilicet decima octava Octobris MDCCCVIII, in clinicum suscepta est. Consueta icteri symptoma, sine hypochondrii dextri tensione vel duritie in conspectum veniebant. Praeterea aegra de cordis palpitatione, lassitudine lumborumque dolore conquerebatur. Auxilium primum in usu radicis rhei palmati, acidi nitrici, gummi resinae assae foetidae, et amaricantium, incassum vero, quae sivimus. Tandem suspicando, chlorosin hunc in morbum multum influere, ad tincturam malatis ferri

confugimus, quae praeter caetera morbi phaenomena et icterum fugavit.

---

## CAPUT XVII.

*D i a b e t e s.*

---

**O**bservatio I. Mercator Judaeus quinagesimum circiter annum numerans, corpus gracile exhibens, plica polonica, nec non haemorrhoidibus, copiose fluentibus, vexatus, mense Junio MDCCCIX cum iter institueret, et a curis domesticis multum premeretur, sine nota alia caussa in indelebilem fere sitim incident. Caeterum eousque sat valebat, donec usque elapsis tribus hebdomadibus, haemorrhoides, prius suppressae, iterum fluere cuperunt. Oriebatur enim tunc magna virium jactura; *deleto simul ciborum desiderio*. Nil vero magis aegrum excruciat, quam vigiliae sive somnus vanis imaginibus perturbatus. Aderant praeterea oris siccitas, aestus praecordiorum, susurrus aurium, mentis hebetudo, et febricula aegrum sine ordine nunc aggrediens, nunc derelinquens. Nullis adhibitis prius auxiliis, mense Octobri ejusdem anni, curae medici Vilnensis, aliunde sat experti, se tradidit, qui morbum pro febre lenta nervosa habens, remedia diagnoysi consona praescripsit; at incassum. Mense Novembri in consilium vocatus, aegrum inveni habitum tabificum praese ferentem, atque viribus praeter modum

exhaustum. Pulsus 80, debilis. Nullum cæterum indicium de labe visceris qualiscunque. Duratio morbi videbatur suspicionem febris nervosae, etsi lentæ, diluisse. Hac sub rerum positione omnibus ad trutinam revocatis, ex siti, et oris cutisque siccitate, dubium de latente forte diabete in mēntem mihi venit. Instituebantur hinc debitæ quaestiones circa urinam (de qua aeger ne verbum quidem hucusque dixerat), ac invenimus eam omnino, tum copia, tum qualitate peccantem. Spatio enim nychthemeris aeger ultra viginti lotii libras reddebat. Sapor illius admodum dulcis animadvertebatur. Ut discipulis facultatem exhiberem diabeten observandi, aegrū, ut sese ad clinicum institutum deportandum curaret, induxi. Magna id difficultate die vigesima Novembris obtinui. At nullum levamen ibi accipiens, ac tum ob adstantium numerum eorumque curiositatem, tum a quotidiana ponderatione corporis, alimentorum et excretionum terrefactus, aequæ ac taedio affectus, die quinta Decembbris clinico valedixit, brevi post domi moriturus. Pharmaca tam brevi temporis spatio porrecta nil observatione dignum offerunt. Diaeta animalis dulcedinem urinae illico delevit, at tantam ea produxit virium imbecillitatem, ut ab ea abstinere coacti fuerimus. Verumtamen haud penituit, aegrū, de quo sermo est, in clinicum institutum suscepisse. Obtulit enim egregio nostro in rebus pharmaceuticis prosessori, *Wolfgang* opportunitatem, urinam analysi chemicae submittendi, quam analysin, utpote, ni fallimur, omnes hucusque extantes

praestantia antecedentem, cum lectore benevolo hic communicamus.

1. *Analysis chemica.* Lotium recenter excretum, perfecte fuit clarum, coloris quidquam lutei sive straminei, ac odoris valde debilis, aromatici, haud ingrati. — Sapor hujus urinae licet manifeste fuerit dulcis, magis tamen similis mannae quam saccharo, et post gustatum ejus sapor manifeste salinus semper in ore remanebat. Gravitas specifica 1032 — 1042. —

2. Urina haec *tincturam Heliotropii* vix ac ne vix quidem colore rubro inficiebat; at tamen ad perfectam saturationem acidi liberi in libra una ejusdem urinae contentis sex grana carbonatis potassae requirebantur. — Cum solutione *nitro-muriatis stanni* exigua nubecula ad fundum vasis lente ex urina subsidebat. Cum *muriate hydrargyri superoxygenato* vix aliquod praecipitatum conspiciebatur, et hoc molle fuit. — *Infusio gallarum* paululum urinam turbavit, quo in statu ad longum tempus reicta valde exiguum praecipitatum deposit. — Simili quoque ratione clarum urinae colorem turbarunt *aqua calcis*, ammonia et oxalas ejusdem. Tam ope *muriatis*, quam *acetatis barytae* obtinui praecipitatum coloris albi in magna copia; quod formabatur etiam cum *nitrate argenti*, *acetate plumbi* et *nitrate ejusdem metalli*.

3. Acidum nitricum vel dilutum vel concentratum nullam in nostram urinam exercebat actionem, et post longissimum tempus *acidum uricum* ex ea non praecipitabat. — Similis actio et similia phaenomena ex parte

*acidi sulphurici, muriatici, tartrici, acetici et citrici.*

4. *Solutio potassae purae (Lixivium causticum)* nullas inferebat eidem urinae mutationes, et odor ammoniae non percipiebatur.

5. Lotium hujusmodi per aliquot dies sibi relictum vel etiam ad dimidium evaporatum nullum exhibebat sedimentum, nullasque experiebatur alterationes.

6. Sub longiori lotii diabetici quiete in temperie + 12 — 14° R. formatur primo in medio liquoris nubecula, postea separatur similis albumini substantia, quae fundum vasis petit, dein vero exorditur fermentationis negotium, sub quo ipse liquor movetur, spumosus, praecipue sub agitatione, evadit, magna copia gaz acidi carbonici evolvitur, et urina manifeste acida redditur. — Quo diutius in eadem temperatura lotium sibi relictum fuerit, eo magis colorem flavum in brunneum mutabat, saporem acidum sensim sensimque amittebat et tractu temporis quoad gustum penitus factum in putredinem abibat et ingratum foetorem spargebat. Addito urinae recenti fermento, licet fermentatio promota fuerit, tamen per destillationem parca alcoholis copia prodit.

7. Urina recens destillationi subdita exhibet liquorem clarum, aquosum, nullo acido impregnatum et vix aliquod vestigium ammoniae manifestantem. Ad finem destillationis percipiebatur odor empyreumaticus. Residuum in retorta fluidum spissum et tenax habuit colorem nigro-brunneum, et ex quo ope ulterioris destillationis nudo igne promotae ascendebat liquor ab initio flavesiens, post fuscus,

dein vero nigro-rubescens cum multo empyreumate. — Attamen in toto hoc opere vix indicium olei sub specie levis nubeculae liquori supernatantis conspiciebatur, qui exiguum portionem carbonatis ammoniae, acidum aceticum et carbonicum continebat. —

8. Duodecim unciae recentis lotii ad consistentiam syrapi leni igne evaporatae et inspsatae dederunt substantiae melleae drachmas novem et grana quadraginta, quae spatio nychthemeri abiit magna ex parte in glomerasat spissa.

9. Eadem quantitas lotii ad siccitatem fere evaporata constanter exhibuit, post plura suscepta pericula, extracti unciam, grana xv — xx; prout adhibita hoc scopo urina fuerit vel urina potus vel urina sanguinis.

10. Extractum mox dictum coloris albi in flavum quidquam vergentis et consistentiae sati congruae aspectum mannae cannulatae praese ferebat; quod fuit simul satis friabile, ad attatum molle, digitis non adhaerens, et diffractum ostendebat intus plurima puncta crystallorum inspersa, sacchari instar nitida. Extractum ejusmodi, mox post evaporationem sepositum, fit sine data ratione liquidum ac iterum post aliquot horas redditur spissum et siccum, quo in statu nullas jam ulterius subit mutationes, nisi quod cum tempore quidquam humidum evadit. —

11. Tres partes aquae frigidae ad ejus solutionem sufficiunt, quae clara est: et hunc in finem adhibui semper extracti grana xxx et aquae destillatae grana clxxx. — Non omne tamen extractum solvebatur, nam remanebat

in filtro dimidium granum substantiae residuae, quae constabat ex phosphatis calcis  $\frac{1}{4}$ , et substantiae albuminosae  $\frac{3}{4}$ . —

12. Solutioni extracti aquosae (11.) *alcohol absolutum* superadditum, praecipitat ex illa  $\frac{1}{40}$  materiae gummosae. *Tinctura heliotropii* levi colore rubro eam inficit, et *sulphuretum ammoniae - hydrogenatum* deponit sulphuris circiter  $\frac{1}{4}$  grani. Eadem solutio cum *infusione gallarum* dedit vix  $\frac{1}{5}$  grani praecipitati grisei, quod nimis tarde conspiciebatur et tractu temporis solum separandum. — Similis effectus obtinetur quoque cum *infusione catechu et kino*. *Murias hydrargyri superoxygenatus* producit quidem praecipitatum flavescentia, sed hoc nimis exiguum, vix tertiam grani partem constituit. Cum solutione *acetatis plumbi* obtinetur praecipitatum satis manifestum grisei coloris, ut 1: 5. — Nitratas plumbi dedit praecipitati albi grana quatuor cum dimidio. — Simile resultatum obtinetur quoque ex *nitrate hydrargyri*, quod valuit grana quatuor. — Cum *nitrate argenti* praecipitatum granorum duorum cum dimidio ab initio album, luci vero expositum, colorem nigrum assumpsit. — *Murias ac nitratas barytae* solutionem eandem ab initio turbavit, post aliquod vero tempus tria grana pulveris albi depositum. Solutio *oxysulphatis aluminae et potassae* saturata nec hilum solutionem extracti urinae ab initio mutavit, ex qua tamen post aliquot horas vix dimidium grani substantiae albidae separatum est. — Similiter se res habuit cum *nitromuriate stanni*, et pondus hoc in casu praecipitati vix quartam grani

partem fecit. — *Aqua calcis* et solutionem hanc turbat et generat praecipitatum  $\frac{3}{4}$  grani; quod copiosius cum *oxalate ammoniae* fuit, scilicet granum unum cum dimidio. Superaddendo solutioni urinae aquosae *ammoniam puram* obtinui granum dimidium praecipitati; quae altera ex parte cum *muriate calcis* turbatur, cum *acido vero tartarico* cremorem tartari producit, qui vix post aliquot dies conspicitur, partim petens fundum, partim vero sub forma minimarum crystallorum regularium fluido supernatans. —

13. Extractum urinae ejusdem siccum sub consueta caloris temperie in alchole absoluto fere non solvitur; qui flaviusculum solummodo colorem induit, *tincturam heliotropii* quidquam rubefacit, cum *nitrate argenti* dat minima in copia praecipitatum album, cum solutionibus vero *muriatis superoxygenati hydrargyri*, *nitromuriatis stanni*, *acetatis plumbi*, vel etiam *muriatis barytae* nullam fere subit mutationem. Materies ipsa extractiva urinae tractata simili modo per alcoolem in temperatura frigida, facta est quidquam albidior et magis friabilis. —

14. Idem extractum urinae longius per tempus ebullitioni cum alchole subditum ad  $\frac{3}{4}$  solvitur; residuum vero ulterius indissolubile remanet in fundo vasis fluidum et colorem rubicundum assumit. (Adhibui pro hoc experimento extracti urinae grana 240 et sex partes alcoholis.)

15. Decantata ejusmodi solutio (14) adhuc ebulliens post refrigerationem evadit turbida coloris lactei, dein vero tractu temporis

perfecte clarificatur et magnam copiam soluti extracti sub specie spissi albo-flavescentis melis deponit, quod spatio duarum ut plurimum septimanarum libero aëri expositum solidam consistentiam assumit.

16. Liquor filtratus et sibi relictus deponit circa parietes vitri spatio decem dierum substantiam albam pellucidam sub forma minimorum crystallorum, quorum pondus duodecim grana fecit. — Crystalli dictae sabulo similes formam irregularem ostendebant, jam enim fuerunt globulosae, jam vero complanatae, diaphanae et albicantes. — Sapor earum dulcis, quidquam salinus. — Ad ignem expositae liquantur, sacchari instar effervescunt, colorem prius flavescentem, post brunneum assumunt, odorem spargunt gratum et veram speciem caromellis sistunt. Diutius vero eaedem crystalli in igne tractatae relinquunt in residuo carbonem nitentem, voluminosum, cum  $\frac{1}{3}$  muriatis sodae permixtum. — Eaedem sacchari crystalli facillime in omni proportione aquae frigidae solvuntur; quae solutio *cum nitrate argenti* producit praecipitatum album; *cum muriate vero barytae vel calcis* nullam experitur alterationem. — Substantia dicta saccharina in aethere sulphurico aut alcoholе absoluto sub quocunque coloris gradu fere non solvitur. —

17. Residuum (14), quod jam ulterius in alcoholе ebullienti non solvebatur et grana quinquaginta quinque totius adhibitæ substantiae valuit, sub altera ebullitione cum nova quantitate alcoholis, amisit de suo pondere grana 15; quae dissoluta nequaquam saccha-

rum separabant. — Reliqua substantia indissolubilis aliquoties cum alcohole concussa deponebatur ad parietes vitri sub specie inspissati mellis, in quo post aliquot dies conspiciebantur summe regulares crystalli substantiae saccharinae, nullo alio modo a massa mellea separandae, quam ope digitorum. Pondus earum grana 22, volumen vix semen milii aequabat, forma pyramidae binae quodrilaterales basibus coalitae cum apicibus truncatis, color quidquam flavescens — in ceteris autem prorsus respondent saccharo ex alcohole crystallisato, de quo supra (16) locuti sumus.

18. Alcohol, ex quo prius saccharum sponte separatum est (16) mixtus simul tincturae (17), ex qua substantia saccharina non deponebatur, et quidquam evaporatus, dedit post aliquot dies grana sex crystallorum sacchari, magnitudinis seminis lentis; tractu vero temporis deponebatur sensim sensimque ad parietes vitri substantia granulosa, mollis, lactei coloris, quae in proprietatibus prorsus extracto similis, progressu temporis spissa evasit. —

19. Pars extracti urinae diabeticae ulterius in alcohole non solubilis vel ex solutione aquosa ope illius praecipitatae, habet singula attributa extracto animali propria, quae *Bunniva* et *Vauquelin* descripserunt. —

20. Extracti ejusdem grana 720 destillationi via sicca subdita exhibuerunt liquorem empyreumaticum coloris rubro-brunnei ad grana 360, qui constabat ex acido acetico, acido carbonico et exigua portione carbonatis ammoniae. Residuus in retorto vase carbo grano-

rum 190 fuit niger, voluminosus, levis, splendens, porosus et difficillime in cineres reducebatur. Duas enim per horas in crucibulo platineo vehementi igne ad albedinem usque tractatus, vere nihil de proprio pondere amisit, in cineres non abiit et vix vestigium potassae manifestavit. Reliqua adhibiti extracti grana 170 in censem gaz hydrogenii carbonati et gaz acidi carbonici numeranda sunt. Dicta carbonis grana 190 post perfectam in vase argenteo plano ampio, et aperto combustionem reliquerunt grana 21. cinerum; quorum analysis sequitur:

1.	Phosphatis calcis . . .	1, 5	} 21
2.	Carbonatis calcis . . .	6, 5	
3.	Muriatis potassae et sodae	8, 5	
4.	Sulphatis potassae . . .	1, 5	
5.	Carbonatis potassae . . .	1	
6.	Terrae siliceae . . .	2	

21. *Acidum nitricum concentratum* extracto urinae sicco superinfusum, mox in illud actionem exercet, atque cito cum effervescentia dissolvit. Solutio ejusmodi slavescens nullum generat praecipitatum. Similis actio ope *acidi nitrici diluti* observatur, quin aliqua datur effervescentia. Superadditum huic vel alteri solutioni nova portio extracti reddit eam spissam et viscidam. Omni tamen in casu nec ope aquae, nec ope carbonatis potassae praecipitatum obtinetur.

22. Ejusdem extracti urinae grana 240 in dupla quantitate *acidi nitrici* sufficienter diluti soluta exhibuerunt post octo menses *acidum oxalicum* in sat magnis et perfecte regularibns

crystallis, cuius pondus grana 18 valuit. Liquor residuus nimis spissus et ulterius jam *acidum oxalicum* non separans cum longiori tempore sensim sensimque in aëre libero decomponebatur, nigrum assumpsit colorem et in substantiam tenacem abiit. Hinc patet, *acidum oxalicum* nimis difficulter ex hac solutione et tempore solum, et in mediocri temperatura crystallisari. Promota enim, majori caloris gradu, evaporatione liquor redditur niger et spissus ac minime crystalli *acidi oxalici* obtinentur. —

23. Solvendo multoties extractum diabeticae urinae in *acido nitrico* vel concentrato, vel diversa proportione aquae diluto, nullum vestigium principii urinosi cum acido nitrico combinati observavi; quod nihilominus tamen in similibus positionibus, post separatum *acidum oxalicum*, invēniri, cl. *Bostock* fatetur.

24. *Acidum sulphuricum* perfecte idem extractum, citra effervescentiam et augmentum caloris, dissolvit; qua sub actione odor acidi muriatici percipitur. Solutio haec ab initio flaviuscula et transparens (pellucida), fit postea nigra et turbida; ex qua post aliquot menses deponitur ad fundum vasis substantia nigra, splendens, friabilis, carbonem aemulans, quae aqua abluta et exsiccata per plures horas continuo ac manifeste crepitabat et in omnes partes dissiliebat. Carbo hujusmodi penitus insipidus nec in aethere nec in alchohole solvēbatur. Extracti urinae grana 60 et acidi sulphurici grana 180 dederunt hujus carbonis grana 16.

25. Extractum toties dictum urinae sine

omni effervescentia bene solvit in acido muriatico. Solutio haec ab initio transparens flavescentia, tempore fit turbida, fuscum, dein vero nigrum assumit colorem et parcum deponit praecipitatum, in quo nec minimum vestigium *acidi benzoici* degetere potui.

26. Facilis quoque solutio extracti urinae in acido acetico obtinetur, quae, flavescentia, nullum generat praecipitatum; ast longius per tempus libero aëri exposita *acidum aceticum* prorsus amittit, ipsum vero extractum sub forma glomerulorum ad fundum vasis deponit.

27. *Ammonia pura* solvit quoque extractum urinae in colore flavo, quae solutio post aliquot menses fortem principii urinosi odorem spargebat. — *Lixivium sodae purae* dat facilem solutionem ejusdem extracti coloris flavi brunnei; ex qua debilis odor ammoniacalis percipiebatur; nullum tamen, addito etiam *acido acetico*, obtinui praecipitatum.

28. Idem extractum, in liquore *carbonatis potassae* solutum, nequaquam alteratur; solutio vero extracti urinae aquosa cum *muriate ammoniae* mixta exhibuit post aliquot menses crystallos cubicas, quae singulas proprietates dicti salis ostendebant. Cum *muriate sodae* obtinui quidem crystallos, sed hae nimis exiguae et irregulares fuerunt. Ex his omnibus, analysis urinae nostri diabetici spectantibus, concludere licet:

1. Urinam hanc constare ex aqua et substantia sui generis vegetabili, quae medium tenet saccharum inter et mannam.

2. Dari simul in ea nonnulla salia.

3. Orbatam esse principiis animalibus, urinae sani hominis propriis; nam *ammonia*, *phosphas calcis*, *gelatina animalis* et vix aliquod vestigium principii urinosi, in ea detecta, nimis exigua et parca inveniuntur. Altera ex parte acidum uricum, *acidum benzoicum*, caetera salia phosphorico acido juncta, quae ex urina sani hominis obtinentur, resina quoque biliosa et sulphur, licet singula reagentia fuere adhibita, nequaquam locum in illa habuerunt. —

Partes constitutivae extracti urinae sicci, quod a nonnullis auctoribus pro saccharo sumebatur, sunt:

1. Substantia mannae similis.
2. Saccharum.
3. Murias potassae et sodae.
4. Murias ammoniae.
5. Acetas vel malas potassae cum paucō acido libero.
6. Carbonas calcis.
7. Phosphas calcis.
8. Sulphas potassae.
9. Albumen et quidquam gelatinæ.
10. Extractum animale.
11. Terra silicea.

*Observatio II.* Femina quadraginta annorum, trium liberorum mater, animo irascibili et malitioso praedita, ultimæ proli non sine virium decremento ubera per curriculum sesquianni præbuit. Hoc tempore elapso, conspicuum elevando pondus, a saevis dorsi, abdominis et lumborum doloribus prehensa est. Chirurgus in auxilium ductus, referente

aegra, copiam enormem cruoris e brachio duxit. Augebatur inde debilitas et corporis emaciatio, quibus, quin pristini dolores multum remiserint, continua fames et sitis associati fuere. Menstrua ab ultima graviditate, id est, a tribus circiter annis, nulla. Aegra miserrime vivens auxilium in domo beneficorum quaesivit, ex cuius xenodochio, pro clinico instituto electa est, die vigesima secunda Decembris MDCCCIX, quarto morbi mense. Habitus cachecticus, corpus emaciatum, cutis arida, veluti pergamenum, ciborum praemagna cupiditas, sitis inexplebilis, os humidum, *cum sapore dulci*, cerumen aurium amarum, pulsus normalis, parum celer, dolor epigastrii, abdomen molle, alvus aperta, faeces non dulces, urina spatio nychthemeris ad libras triginta, coloris straminei, gustus et odoris instar succi betulae albae. Deerat sensus frigoris a lumbis secundum decursum ureterum ad vesicam urinariam descendens, alias diabeticis familiaris. Primum urinam expertissimo nostro chemico *Wolfgangio*, ut eam analysi submitteret, commisimus. Dein ut cunctas observationes, quas hic accuratius, quam forte unquam factum est, instituere voluimus, uno oculi ictu perlustrare possemus, diarium sub forma sequentis tabulae conscribendum curavimus.

Fondera

Analysis chémica obtulit partes constitutentes urinae praesentis aegrae, illis antecedentis aegri omnino similes fuisse. Diarium vero tanta sedulitate conscriptum ob id inutile evasit, quod aegra malitiosissima peculiari studio cunctas nostras observationes erroneas reddidit, nunc scilicet urinam clandestine ejiciendo, nunc alienos cibos sumendo &c.

---

## CAPUT XVIII.

P o l y d i p s i a.

---

**V**ehementer suspicamur medicos antiquitatis non pauca diabetis exempla sub nomine *polydipsiae*, sive *sitis immodicæ* collegisse; at contra vel suspicamur, medicos hodiernos non paucos polydipsiae casus pro diabete declarare. Sunt tamen hujusmodi morbi a se invicem omnino diversi, et signis gentilitiis distincti, de quo argumento fusius disserere loci praesentis vetat angustia. Interim quivis sponte videt, aegrum, ob morbosam sitim multum bibentem, necessario jure vel multum mingere debere, quin inde ad specificum illum morbum, sub omni respectu mirabilem, quem *diabetem* vocamus, illico concludere liceat. Sequens historia morbi rem, si opus esset, clariorem redderet. Est vero ea vel sub alio respectu memoratu digna.

*Observatio.* Puella quindecim annorum, neqdum menstruata, clinico instituto commis-

sa est die decima sexta Januarii MDCCX. Re-  
 ferebatur ab illius herō, eam ceterum sat  
 valere, excepta *indelebili siti*, et magno urin-  
 arum profluvio, *ab octo jam annis* perseve-  
 rantibus. Habitum quidem aegrae gracilem  
 invenimus faciemque pallidam, ac deerant  
 corporis emaciatio et virium languor. Lingua,  
 nisi mox post somnum, non cernebatur sicca,  
 nec universa cutis ariditatem, diabeticis pro-  
 priam, exhibebat. Commissa ulteriori obser-  
 vationi, compertū habuimus aegram nych-  
 themeri spatio inter decem et duodecim libras  
 aquae potare, et circiter idem urinarum pon-  
 dus excernere. Lotium autem omnino urinae  
 consuetae, quae dicitur potus, simile erat.  
 Hisce omnibus ad trutinam vocatis, morbum  
 pro diabete nequaquam declarare ausi sumus;  
 et quidem ob id, quod desiderabantur genti-  
 litia hujus morbi symptomata, emaciatio sci-  
 licet corporis, cutis ariditas, ac virium  
 jactura. Arrepta opportunitate praesentis ae-  
 grae, ut coram discipulis de caussis tum sitis  
 tum profluvii immodici urinarum, dissererem,  
 sermonis curriculum me necessario jure *ad*  
*morsum dipsadis*, de quo medici antiquitatis  
 tantum loquuntur, duxit. Vix autem hujus-  
 modi argumentum tetigeram, quum alumnus,  
 cui praesentis aegrae cura commissa erat,  
 praepostere, uti credebam, puellam interroga-  
 verit: *fuistine momorsa a serpente?* Quo  
 tempore risum vix tenere potuerunt caeteri  
 commilitones, aegra serio respondit: „a ser-  
 pente quidem non sui momorsa, sed *ab apibus*,  
 atque haec est origo mali, quod patior.“  
 Narravit enim, se perfecte recordari, quod

ante octo annos incaute apiarium visitaverit, quo facto ab examiné obsessa et momorsa, mox in sitim et in subsequens urinarum profluviū inciderit. — Miri hujus mali curam foliis atropae belladonnae incepimus, verum sine fructu, quin immo cum augmēnto sitis et urinarum. Volui dein cum mercurio periculum instituere, at aegra noluit moram in nosocomio diutius protrahere.

---

### C A P U T X I X.

*Retroversio uteri gravidi, et rarius linguae vitium organicum.*

---

**E**xemplum retroversionis uteri gravidi in clinico observatum, uni ex commilitonibus nostris atque seminarii medici, sumptibus caesareis instituti, alumno, domino Ambrosio Buczynski, pro themate dissertationis inauguralis inserviit. Quoniam opuscula hujus generis, apud nos edita, raro ad exteris nationes usque perveniunt, et quoniam forte specimen modi, hujusmodi res vel in nostra modestissima scientiarum universitate pertractandi, a nonnullis desiderari posset; opportunum esse censemus, non solum eam, de qua quaestio est, dissertationem, sed et alteram, rarum linguae praemagnae exemplum exhibentem, auctore Onophrio Niechwiedowicz, ejusdem seminarii alumno, sub *appendicis* forma, in medium afferre.

---

## APPENDIX.

### I.

*Ambr. Buczynski observ. de retroversione uteri \*).*

**E**xempla retroversionis uteri gravidi non sunt quidem rara \*\*) at non ita tamen vulgaria, ut supervacaneum videri posset, fastos medicos

\*) Diss. med. obstetr. Vilu. 1811. 8.

\*\*) Cl. Voigtel in egregio opere: Handbuch der pathologischen Anatomie 3. Theil, S. 463 — docissime de utero retroverso disserens ad sequentes scriptores remittit: vide Desgranges Journal de Med. Tom. LXVI. pag. 90. Dussaussoy ibid. vol. LXVIII.

*Vermandois* ibid. Vol. LXXXVIII. — Juill. übers. in Hufelands neuesten Annalen der französ. A. K. B. II. S. 159.

*Van Doevert* spec. obs. acad. Cap. p. 163. — Act. nat. cur. vol. VII. *Hooper* med. obs. and Inquir. Vol. V. p. 378.

*Gastshore* ibid. pag. 381.

*H. Caypers* de retroversione uteri gravidi. Lugd. Bat. 1777.

*Wall* de uteri gravidi retroversione. Hal. 1782.

*Richter's chirurgische Bibliothek.* B. I. St. IV. S. 47. B. IV. S. 61. 70. 235. 555. B. V. S. 132. 548. B. VII. S. 492. B. VIII. S. 715. B. IX. S. 182. B. XI. S. 310. 328. B. XII. S. 45. 50. *Rogert* in act. Soc. Med. Hafn. 1779. Vol. II.

iis adhuc locupletare. — Liceat igitur hic novum hujusmodi morbi exemplum, ex Instituto clinico medico Caesareae Universitatis Vilnensis desumptum, in medium proferre. —

---

### HISTORIA MORBI.

*Ancilla*, vigesimum tertium aetatis suaee annum agens, corporis habitus boni, tempore apud nostrates consueto pubertatem adepta, secunda semper fruebatur valetudine, si excipias menstruorum periodos, quibus acceden-tibus, constanter a multis excruciatibus incommodis, praesertim autem a dysuria, nec non ab alvi obstructione. Quatuor ante men-

*Schäffer* in *Baldinger's neuem Magazin* B. VII. S. 335.

*W. Kockell*, an Essay on the Retróversion of the uterus. London 1785.

*Gill*, Diss. de ista herniae uterinae specie, quae re-troversio uteri dicitur. Edinb. 1787. — *Cheston* in med. communic. Vol. II. No. 2.

*Croft* in *London med. Journal*, Vol. XI. 4. N. XI. *Journal de Med.* 1791. Juill. pag. 53. S. 99.

*Denman* practice of Midwifery Vol. I. Ign.

*Weltczeck* Diss. de utero retroflexo. Pragae 1777.

*H. J. Baumgarten* Diss. de utero retroverso. Argent. 1785.

*Jahn* Diss. de utero retroverso. Jenae 1787. übers. in der n. Samml. für Wundärzte; St. XXII. S. 225.

*Stark's Archiv*, B. I. St. I. S. 50 und 135. St. II. S. 164.

*Voigtel* fragment. semiolog. obstetric. pag. 13. not. 9.

*J. Melitsch* Abhandl. von der sogenannten Umbeu-gung der Gebärmutter, Prag 1790 — 1792

*Vogel* von einer Reflexion der Gebärmutter, in *Hart-tenkeil's Zeitung* 1791. B. I. S. 20 fg.

ses autem, ab impraeognationis scilicet tempore, siluerunt hujusmodi incommoda una cum menstruis, comparentibus simul aliis graviditatis signis, salivatione scilicet, nausea, vomituritione vomituque ipso, cui adsociabatur cephalaea, frequensque siugultus. Cunctatamen haec symptomata elapsis nonnullis diebus evanuerunt, ita ut aegra tertium graviditatis mensem sine ullo incommodo attingeret. Hic enim dum a gravissimis curis domesticis premeretur, pristina mala recruduere. Iis ope remediorum domesticorum, nobis ignotorum, sedatis, sat incolorem ad diem primum mensis Junii anni MDCCCX duxit vitam — qua ipsa medietatem quarti mensis graviditatis numerabat. Accidit vero tunc, quod elevato gravi pondere, illico a summo dolore, a pelvi ad lumbos ascidente corriperetur. Sequebatur magna virium jactura, vomitus atque completa suppressio tum urinarum tum faecum.

Deductis in usum nonnullis remediis domesticis, praesertim infuso baccarum Juniperi communis, nullum levamen obtinuit, unde invalescente de hora in horam morbo, die sexto ejusdem mensis Junii in clinico instituto auxilium petiit. Examinato abdomen, vix attactum ferente, tumor, a regione hypogastrica fere ad umbilicum usque ascendens, detectus est. Tumor iste exacte figuram distensae vesicae urinariae referebat. Insimul partes genitales externas tumidas, rubicundas atque ad attactum valde sensiles conspeximus. Instituta exploratione per vaginam, cuius superficies anterior tensa, posterior vero laxa fuerat, uterus quidem sese mox sub forma

tumoris, magni, rotundi, glabri, sere immobilis obtulit, verum plane impossibile erat, illius orificium attingere. Stante aegra licuit tamen, etsi non sine difficultate, uterum anterius tantisper sursum pellere, quod plerumque cum effluxu guttularum nonnullarum lotii foetidi contingere solebat. Immisso digito in intestinum rectum, prius ope clysteris depletum, corpus grave ac voluminosum, fundus scilicet uteri detegebatur, parietem anteriorem intestini comprimens, atque diametrum illius omnino occludens. Amplum, quod erat, spatium inter hocce orificium ani et obstaculum altitudinem sex pollicum exhibuit, tumor vero ipse prorsus immobilis, et, levis licet, nisus eum sursum pellendi, intolerabilem excitabat dolorem. Praeterea febris et anxietas magna, vomitus aeruginosus, singultus aderant. Catheterem non sine difficultate applicito, quatuor tantum urinae foetidae librae, cum magno quidem levamine; quin tamen superior pars tumoris regionis hypogastricae imminueretur, effluxere. — Tumor igitur uteri per intestinum rectum et vaginam sub exploratione manifestus, directione horizontali ab anterioribus postrorum ductus, orificium uteri in vagina, cuius superficies anterior tensa, posterior laxa, altiore situ ultra digitum accessum latens, urinae et alvi retentio, commonstrabant retroversionem uteri, et quidem eam illius speciem, ubi fundus intestino recto, orificium vero vesicae urinariae incumbit. Lenia porrigebantur alvum laxantia, atque repositio uteri hoc in casu indicata omni modo, sed heu sine successu tentata fuit. Convocatis insuper

altera die expertis pluribus in arte obstetricia Viris omnia, ut huic visceri normalis concilia-  
retur positio, incassum ab iis instituta fuere. Conclamato igitur morbo, toti fuimus in sym-  
ptomatibus, quousque id fieri poterat, le-  
niendis, praecipue prospiciendo retentioni  
urinae, doloribus, virium jacturae, et alvinae  
evacuationi, ope Catheteris, opii, juscotorum  
et clysterum. — Jam vero catheter vix libram  
unam lotii spatio nychthemeri educebat, atque  
clysteres sine faecibus reddebantur; tam  
firme enim obstaculum, de quo diximus supra,  
commercium inter intestinum colon et rectum  
intercipiebat, ut descensus faecum omnino  
impediretur. Ad decimam octavam ejusdem  
mensis diem aegra ita sine magna rerum mu-  
tatione decubuit, si excipiamus notabiles febris  
exacerbationes, frigore stipatas, typum quo-  
tidianum sequentes. Memorata autem die  
omnia derepente in pejus ruebant. Jam cathe-  
ter vix urinam educebat, quaeque educebatur,  
intolerabilem spargebat foetorem. Tumor  
abdominis interea non imminuebatur. Post  
biduum accendentibus summa inquietudine,  
lipothymiis, extremitatum frigore marmoreo,  
pulsu intermittente, sudore frigido, atque facie  
hippocratica facta, obiit. —

---

### SECTIO CADAVERIS.

Aperto abdomine insignis seri purulentis  
foetidissimi copia obviam venit. Parietes ves-  
icae urinariae subtilissimi ac flacci intus  
vestigia gangraenae offerentes, latera abdo-

minis ad umbilicum usque occupabant, fundus autem et peritoneum, eum ambiens, foramen peripheriae sex pollicum obtulit. Unde patet, fluidum prius, aperto abdomine obvium, urinam constituisse. Fundus uteri sub initio intestini recti incumbebat, tanto id opprimens obstaculo, ut colon in illud transiens, faecibus omnino distensum, dimidiam capitis infantis magnitudinem adaequaret. Os uteri symphysi ossium pubis sinistrorum quidquam appositum. — Totus denique uterus pelvim repellens vestigia inflammationis offerens. Tubae Fallopianae, ovaria, ligamenta, excepta levi inflammatione, normali modo constituta. Cavum uteri continebat foetum, minime corrumpum, quinque circiter mensium, respectu uteri in situ naturali positum, capite scilicet orificium uteri spectante. Pelvis dimensiones justae: viscera abdominalia utero contigua etiam inflammata, reliqua sana. —

---

### E P I C R I S I S.

Dysuria atque calvi obstructio, quibus aegra nostra, virgo adhuc, quovis sub cataractariorum fluxu laboraverat, haud immerito suspicionem germinis praesentis morbi, nempe alicujus incurvationis uteri movet. Enim vero *vel uterum non gravidum posse retroverti*, docuit Celeb. vir *Joannes Hunter* confirmationque habetur ab aliis \*) nequaquam tamen

\*) Bücheln im Mus. der Heilkunde Bd. III. S. 126.  
Saxtorph in collection. Hafniens. Vol. II, obs. XV.  
p. 128.

alio pacto, quam eo in casu, dum viscus hujusmodi praeter modum extensum est e. g. a polypo \*) vel a menstruorum retentione: de quibus vero morbis nostra in aegra nec vestigium inveniebatur.

Dolemus sane miseram, cui forte in primo morbi limine auxilium ferri potuisset, tam diu domi tempus trivisse. Nec a veritate alienam existimamus suspicionem, quod infusum baccarum Juniperi communis, quo usat erat, virtute sua diuretica lotii secretionem augendo malo malum addiderit. Nil certe magis condemnandum, quam mos vulgi, aegrotantibus, in urinā emittenda deficientibus, mox sine praevio rerum examine, diuretica porrigiendi. Diagnosis nostro in casu haud ardua fuit — vix enim errori locus erat, nisi forte illi *retroversionem* cum *obliquitate uteri* (Hysteroloxia, Metroloxia,) confundendi. — Distinguitur vero, saltem in gravida, utrumque malum per signa ita evidentia, ut satis sit ea inter comparationem instituere, ut vel erroris possibilitas excludatur. — Inserviet huic scopo sequens tabula diagnostica duce clar. Schmaltzio \*\*) elaborata.

Willich von einer Umbeugung der Gebärmutter, vid. Richter's chirurg. Bibl. B. V. St. I. S. 132.

\*) Murray in Rudolphi's Schwed. Annalen, a. a. O. S. 126.

\*\*) Versuch einer medicinisch-chirurgischen Diagnostik in Tabellen, §. 155. Dresden 1808.

## S I G N A.

*Retroversionis.*

1. Tumor horizontalis ab osse sacro ad illud pubis usque vaginam adimplet.
2. Os uteri nullo pacto attingitur.
3. Abdomen nisi a vesica urinaria turgens undique vacuum sive molle.

*Obliquitatis uteri.*

1. Tumor vel nullus in vagina vel saltem obliquus.
2. Os uteri vel antrorsum v. postrорsum, v. dextrorsum vel sinistrorsum inventur.
3. Solum pars lateralis abdominis obliquitati opposita vacua atque venter ob id fere difformis.

Differentiam *retroversum* inter et *inversum uterum* silentio praeterimus, est enim hujusmodi differentia tam evidens, ut quicunque in arte versatus, eam sponte per ipsam scilicet vocabulorum significationem enucleare valeat.

Quod vero diagnosin nostro in casu magis facilem reddidit, sicut ingenua aegrae, licet innuptae, de graviditate confessio, nec non habita ratio temporis, quo utero gerebat. Notum enim est, uterum praecipue tertio atque quarto graviditatis mense retroversioni obnoxium esse. — Non desiderant tamen exempla tardioris retroversionis. Observavit

enim cl. *Gistken* morbum, de quo agitur sexto graviditatis mense \*).

Ea, quae a nobis tradita est, observatio infirmat porro, retroversionem uteri, sub qua fundus intestino recto et orificium vesicae urinariae incumbunt, frequentiorem esse, quam illam, ubi contrarium contingit. — Paucae enim extant observationes retroversionis ita constitutae, ut fundus uteri vesicam urinariam atque orificium intestini recti attingeret. — Occurrunt tamen apud *Levretum* \*\*) et *Lynne* \*\*\*). — Multum convenire videtur exemplum retroversionis uteri, cuius historiam exponere conati sumus, cum altero, quod *Hunterus* fastis medicis tradidit †), nisi quod hic vesica urinaria haud fuerit disrupta.

Summopere vero attentione dignum censemus, quod nostra in aegra, applicito prima vice cathetere, quatuor solum librae lotii extractae sint, et quod educto lotio regionis hypogastricae tumor haud subsiderit. — Suspicamur igitur vesicam urinariam, ab orificio uteri eam comprimente fere bipartitam extitisse, ita scilicet, ut catheteris ope solum lotium ex inferiori parte educi potuerit, effluxus vero urinae superius contentae ab utero impeditus fuerit. Tantam uteri contra vesicam urgentis

\*) Vid. *Jac. Lindblom* praes. *Murray* in uteri retroversionem animadversiones. Upsal 1797 in Rudolfi's Schwed. Annalen B. I. S. 148 sq.

\*\*) Journal de medec. Tom XL 1773. Richter's chirurg. Bibl. B. III. S. 243.

\*\*\*) Medic. observatt. and. inquir. 1791. Vol. IV. N. 36. Richter's chirurg. Bibl. B. I. St. IV S. 47.

†) Medical. observ. and. inquir. Vol. IV. p. N. 36.

vim non a veritate alienam esse, docet exemplum supra citatum *Hunteri*. Legimus enim uterum ita in pelvi incarceratum fuisse, ut solum instituta sectione symphysis ossium pubis, eum extrahere licuerit. Concessa porro nostra suspicione, haud arduum est rationem reddere, cur irrita quotidiana applicatione catheteris attamen vesica urinaria disrupta sit. Catheter nempe ad superiorem vesicae bipartitae cavitatem (cui ex ureteribus continuo novum lotium affluebat) nequaquam pervenire potuerat. Gangraenam tandem vesicae, praegressae cystitidis, cystitidem vero ischuriae sequelam fuisse, nemo inficias ibit, recordatus copiae enormis lotii, secto abdomine nobis obviā venientis. —

Curam retroversionis uteri quod spectat, si reductionis illius tentamina sub maximō retroversionis gradu haud successerit, quod in inveterato malo interdum accidit, sectio symphyseos ossium pubis suscipi potest, quam medendi rationem cum successu institutam fuisse compertum habemus \*), tamen enchiresis haec, uti ex historia illius progressus scimus, non semper propositum scopum attingit. Magis convenire nobis videtur methodus a cl. Callisen commendata \*\*), quae consistit in incisione abdominis non absimilis illi, quae in sectione caesareā instituitur, quo facto manus

\*) Bulletin de l'école de médecine pag. 36. Journal redigé par M. M. Corvisart, Lecroux et Boyer Tom IX.

\*\*) Callisen systema chirurgiae hodiernae pars posterior §. DCCCXXXIII. Petropoli 1804.

in abdomen immittitur, et uterus retroversus in situm naturalem retrahitur, haud neglecta corporis quiete, lotii et alvi sedula eyacuatione atque spongiae involutae vel pessarii in vaginam immissione, usque dum aucta uteri gravi- di moles possibilitatem retroversionis excludat. Tertia denique methodus a cl. Guilielmo Hunter \*) proposita perforatio nempe uteri per vaginam ad liquorem contentum educendum, ut et hinc repositio uteri facilitetur et abortus promoveatur, etiamsi a nemine hucusque in- stituta fuerat, quam maxime attentione nostra digna est: quoniam nullum periculum offert, atque minus absterret aegrotantem quam illae superius expositae. —

\*) Medical obs. of London Tom. IV. V.

---

## II.

*Onuphr. Niechwidowicz* observ. de rariore linguae  
vitio \*).

**O**r ganicorum linguae vitiorum rarius quod-dam descripturo, ab ipso hujus visceris defectu ordiri licebit. Quin tamen hoc pacto fabulis veterum \*\*) de gentibus lingua orbatis fidem adhibeamus, vel de lingua, punitionis causa evulsa, sermonem instituamus, sufficiat de linguae, ex praeviis morbis orta *consumptione* mentionem injicere. Narrat *Bartholinus* \*\*), variolas puero cuidam linguam omnino consumsisse, aegrumque nihilominus loqueland haud amisisse. Sermonis potestatis lingua deficiente perstantis exemplum vel ipse refert *Huxham* †); inveniunturque alia non pauca in opere viri, eruditione excellentis, egregii scilicet *Voigtelii* ‡‡).

Non desiderantur contra vel casus *linguae duplicitis*. Vedit *Dolaeus* †††), puellam

\*) Diss. med. Viln. 1811. 8.

\*\*) *Plinii Hist. Nat. Lib. VI. cap. 30.*

\*\*\*) *Hist. anat. rar. Cent. II. hist. XXII. Tom I. p. 208.*

†) *Med. observat. 1742.*

‡‡) *Handbuch der pathologischen Anatomie. B. II. S. 136.*

†††) *Miscell. Nat. Cur. Dec. I. obs. 137.*

quinque annos natam, binis linguis a nativitate  
instructam, at mutam.

Sat vulgaris porro est linguae *tumor*,  
quatenus multorum morborum symptomata.  
Lingua in glossitide ita saepe turget, ut oris  
cavum repleat, dentiumque impressiones ex-  
hibeat \*). Fertur linguam et *periodice intumuisse* \*\*); vel obsessam fuisse a *tumori- bus* tum *sarcomatosis* \*\*\*), tum *cysticis* \*\*\*\*),  
tum *scrophulosis* †). Linguae, cujus tota su-  
perficies a tuberculis obsessa erat, exemplum  
publici juris reddidit immortalis *Morga- gni* ‡‡).

Rara tandem non sunt *ulcera linguae*  
tum *venerea* †††), tum potissimum *cancro- sa* ††††). Exemplum cancri linguae hoc  
ipso, quo scribo, tempore in viro nobili Vil-  
nae exstat. Dimidia pars linguae sinistra  
hoc in aegro ab ulcere cancroso rodente  
detenta, caetera autem massa scirrhum ex-

\*) *J. Petr. Frank Epit. de cur. hom. morb.* Vol. II.  
Cap. de Glossitide.

\*\*) *Mem. of the medical Soc. of London.* L. I.

\*\*\*) *Büttner Wahrnehmung eines an der Zunge seit  
vier und zwanzig Jahren aus dem Munde hervor-  
gehängten Fleischgewächses von neunthalb Loth.*  
Königsberg 1770.

\*\*\*\*) *Richter Anfangsgr. der Wundarzneyk.* B. IV.  
§. 60. S. 38.

†) *Louis* in *mémoires de l'acad. de chirurg.* T. V.  
N. 15.

††) *De sed. et caus. morb.* Epist. LXVIII. §. 10.

†††) *Leurs* in *Samml. aus. Abhandl. für prakt. Ärzte.*  
B. XVIII. S. 233.

††††) *Richter l. c. S. 32.*

hibet. Primam illud a morsu linguae, probabiliter jam antea ad morbum, de quo agitur, dispositae, originem duxit. Loquela impedita, salivatio continua, foetor oris insignis, abscessus ad latera colli apertus saniem fundens, deglutitio summopere difficilis, febris lenta; haec sunt symptomata, quae miserimum angunt aegrum.

Nec *anthrax linguae*, equis non solum et bobus familiaris \*), sed et in hominibus virus \*\*), nec *aphthae* hic silentio praetereundae sunt.

Siluimus autem *linguae morbosas concretiones* \*\*\*), ejusque *vulnera* \*\*\*\*); frenulum nimis breve vel apici linguae proprius justo insertum †), vel exempla linguarum exhibentium *pilos* ‡‡), *vermes* ‡‡‡), *calculos* ‡‡‡‡),

\*) Scheuchzer fliegender Zungenkrebs, eine Viehseuche, welche 1732 die eidgenoss. Lande ergriffen. Zürich 1732.

M. Paulet Recherches histor. et phys. sur les malad. epizoot. à Paris 1775. A. p. 102. 113. 163. 244.

Paul Adami Untersuchung und Gesch. der Viehseuche. Wien 1782. S. 115.

Ludovicus Bojanus. O ważniejszych zarazach bydla rogatego i koni przez autora z Niemieckiego oryginału tłumaczone: w Wilnie 1810.

\*\*) Referente Voigtelio l. c. p. 141.

\*\*\*) Neue Sammlung für Wundärzte S. III. S. 137.

\*\*\*\*) Fabricii Hildani obs. chirurg. Cent. I. obs. 28. Richter l. c. p. 23.

†) Bell. Cours complet de chirurgie théorétique et pratique — à Paris 1796. Tom 4. p. 198.

‡‡) Amati Lusitani curation. medicinal. Cent. VI. Obs. 65.

‡‡‡) Schenk obs. med. Lib. I. Obs. 350.

‡‡‡‡) Arnemanns Magazin für die Wundarzneywissenschaft B. II. St. II. S. 171.

ut scilicet, sine lectoris taedio, ad illud linguae vitium deveniamus, quod novo atque memorabili exemplo comprobatur sumus.  
Loquor de *lingua prae magna*.

Exhibitent illius non pauca exempla fasti medici. Memorabilia ea sunt, quae a *Trincavella* \*), *Scaligero* \*\*), *Schenk* \*\*\*), *Bartholino* \*\*\*\*), *Hahremann* †), aliisque referuntur. *Bierkander* sequens narrat ††) exemplum. Puella a nativitate lingua consueto majori instructa, absolutis variolis, tale illius augmentum percepit, ut longitudinis pollicis unius cum dimidio, et latitudinis duorum pollicum ex ore penderet. *Ficker* similem refert casum †††): aegra, infans scilicet sex annorum, linguam totam retrahere poterat; at tunc oris cavitas omnino replebatur, impediteturque loquela, alias concessa. Majoris momenti historia est, quam cl. *Trioën* ††††), tradidit. Puella in prima infantia a febre correpta fuit, qua profligata, lingua sensim sensimque ita increvit, ut ad mentum usque extra oris cavum penderet. Hujusmodi abnormitas linguae nec loquelandam, nec deglutitionem impeditat. Ore tranquillo aegra linguam vagina

\*) De rat. curand. part. hum. corp. L. V. cap. 10.

\*\*) Exercitat. 199.

\*\*\*) Obs. med. Lib. I. Obs. 356. p. 401.

\*\*\*\*) Hist. anat. rar. Cent. II. hist. 22. T.I. p. 208.

†) Miscell. nat. cur. Dec. II. An. II. Obs. 51.

††) Neue Schwed. Abhandl. Uebersetzt von *Kästner* und *Brandis* 1791. B. X. S. 142.

†††) Beyträge zur Arzneywissenschaft, Wundarzney- und Entbindungskunst. Münster 1796, St. I. N. viii. S. 107.

††††) Observ. medic. chirurg. Fasciculus p. 142.

argentea obducebat. Hunc vero casum ille, quem nunc in medium allaturi sumus, rariitate fors antecellit.

*Taciana Dziemiatka* sanis e parentibus nata secundo aetatis suaee anno, quo tempore bini dentes in utraque maxilla jam cernebantur, sub lapsu linguam momordit, subsequente copioso sanguinis fluxu. Increvit ab eo tempore sensim sensimque linguae volumen, ita ut post unum alterumve annum eam jam amplius ore retinere nequiverit. Extrorsum tamen pendens lingua tunc adhuc in oris cavitatem retrahi poterat. Serius et hac potestate destituebatur; ita enim increvit viscus, de quo sermo est, ut ultra mentum tribus pollicibus penderet. Simul cum incremento puel- la increvit et lingua ad decimum circiter aetatis annum, a quo tempore non amplius volume augebatur. Nihilominus adversus morbum Vilnae in xenodochio sororum charitatis auxilium quaesivit. Die 12. Octobris anni MDCCIX delata ab III. Professore *Becu* coram societate medica Vilnensi, aegra duodecimum jam annum numerante, sequentia observata fuere. Constitutio corporis sana. Ipsi tamen linguae substantia non erat sa- na durior, neque singularis cujusdam tumoris excrescentia, neque ulceris majoris labe, affecta. Pars illius inferior solum, mox extra labium glandulas tumefactas exhibuit, ad apicem linguae plaga tum ex papillis tumidis, tum ex fasciculis vasorum sanguiferorum cernebatur. Dentes magna ex parte consumti, ac continuum fere osseum corpus formantes. Linguae superficies superior, quatenus,

extra os pendens, praeter modum exasperata. Fertur eam aliquoties jam desquamationem obtulisse, atque domicilium insectorum, nec non eorum larvarum fuisse. Gustus in hac linguae portione statu sicco nullus; saltem patiens saccharum a sale communi haud distinguere potuerat. Potuit hoc vero, idque facilis quidem opere, humectata prius lingua, vel solutis corporibus illis prius in aqua sive saliva. Declinata ope manus in latus alterutrum lingua, nutrimenta, tum esculenta, tum potulenta per spatium inter ipsam linguam et angulum oris oppositi lateris, ita sibi ortum, ingerebat. Masticatio laboriosa, et lenta; deglutitio vero facilis, atque expedita. Vox sat normalis, atque debito modo articulata, nisi enim puella in literis C. Q. W. Z. in quibus nempe pronunciandis vel apice linguae, vel dorsi ejus accuratiore curvatura, vel labiorum oris approximatione intimore, indigeret, sermonis sane nullum exhibuisset defectum.

De cura hujus linguae, si quaeras, nihil est, quod tantae moli auferendae spem suppeditasset vel minimam. Cum enim ingens illud volumen propriae substantiae incremento, nulli autem alii morbo, tribuendum fuerit, nullum sane erat medicamentorum auxilium; ipsa vero extirpationis operatio locum non habuerit vel ideo, quod, resecta parte prominula, remansisset caetera pars linguae in ore, non minus affecta, eandemque extirpationem exposcens, de qua, utpote extractione linguae radicali, rationalis certe chirurgia ne cogitandum quidem suadet. Eo magis arduum praeterea videbatur cultro excedentem linguae


portionem auferre, quo magis abhorreret  
aegra a quacunque operatione chirurgica.

Casus hic memorabilis, qui forte tempore tractu fusi, atque accuratius in actis a societate medica Vilnensi describetur, observationem sustinet, linguam praemagnam vitium sistere ut plurimum sexui sequiori proprium. Si enim unicum excipiamus exemplum, quod *Morand* refert \*) pueri scilicet linguam, quatuor pollices ex ore pendentem, exhibentis, vix autem vix quidem in fastis medicis inveniatur casus linguae praemagna in sexu masculino.

Notatum dignum videtur, consumtionem dentium maxillae inferioris absque dubio ab ipso attritu linguae prominentis repetendam esse, et quidem ea ratione, uti anevrysmata prope ossa efformata consumtionem horum inducunt. Porro morsum nostra in aegra aucti linguae voluminis fuisse causam. Similem saltem rationem in nullo invenimus de vitiis organicis linguae commentario. Sane vitiorum organicorum hujusmodi prima causa plerumque in vitio vis plasticae profundius latet, quam quod ingenio humano attungi posset. Hac ipsa de causa, ab hypothesibus alieni, nec verbum amplius dictis addemus.

\*) Journal de médecine. Tom XV. p. 155:





*Observationes meteorologicae factae in Observatorio Imperiali Vilnensi a 1. Septembris 1807 ad 1. Septembris 1808.*

Mensis 1807.	Dies	Altitudo Barometri.			Mensis 1807.	Dies	Thermometrum Reaum.			Ventus.
		Maxima.	Media.	Minima.			Maxima.	Media.	Minima.	
Septbr.	9.	27. 11, 1.	.	.	Septbr.	1.	+ 22, 41.	.	.	S. et SO. N.
	18. 20. 23.	.	27. 6, 95.	.		13. 18. 20.	.	+ 12, 08.	.	
	27.	.	.	27. 2, 8.		25.	.	.	+ 1, 75.	
October.	15.	28. 1, 3.	.	.	October.	1. 16. 20.	+ 10, 54.	.	.	SO. et NO. E.
	21. 22. 27.	.	27. 5, 95.	.		12. 16. 20.	.	+ 5, 76.	.	
	28.	.	.	26. 10, 6.		23.	.	.	- 5, 02.	
Novemb.	16.	28. 1, 1.	.	.	Novemb.	10.	+ 9, 75.	.	.	NO. et NE. SO.
	20. 21.	.	27. 4, 75.	.		5. 7.	.	+ 3, 56.	.	
	18.	.	.	27. 2, 4.		1.	.	.	- 2, 62.	
Decemb.	4.	.	.	.	Decemb.	9.	+ 6.	.	.	NE. et SO. S.
	11. 14. 16.	.	27. 6, 1.	.		14. 16. 18.	.	- 3.	.	
	18.	27. 11, 4.	.	.		20.	.	.	- 12.	
Januar. 1808.	7.	28. 2, 4.	.	.	Januar. 1808.	4.	+ 2, 5.	.	.	SO. et SE.
	9. 10.	.	27. 8, 19.	.		14. 16. 20.	.	- 1, 75.	.	
	12.	.	.	26. 6, 1.		25.	.	.	- 6, 75.	
Februar.	7.	.	.	.	Februar.	3.	+ 3, 25.	.	.	SO. et NO. NE.
	14. 17. 20.	.	27. 7, 57.	.		16. 18. 22.	.	- 3, 66.	.	
	22.	28. 3, 5.	.	.		29.	.	.	- 17.	
Martius.	26.	28. 7, 9.	.	.	Martius.	12.	+ 2, 5.	.	.	NO. et SE. NE.
	23. 25. 27.	.	28. 0, 86.	.		13. 15. 18.	.	- 4, 8.	.	
	31.	.	.	27. 4, 0.		25.	.	.	- 20, 25.	
Aprilis.	8.	.	.	.	Aprilis.	1.	.	.	- 12, 75.	NO. et O. SO.
	14. 18.	.	27. 7, 3.	.		13. 15. 22.	.	+ 3, 4.	.	
	20.	27. 10, 9.	.	.		24.	+ 14, 5.	.	.	
Majus.	12.	28. 2, 9.	.	.	Majus.	5.	.	.	+ 1, 12.	SO. et SE. NO.
	17. 20. 21.	.	27. 10, 68.	.		6. 8.	.	+ 9, 87.	.	
	23.	.	.	27. 6, 2.		9.	+ 19.	.	.	
Junus.	5.	27. 11, 7.	.	.	Junius.	14.	.	.	+ 4, 25.	SO. et E. NO.
	10. 12. 13.	.	27. 8, 88.	.		21. 25. 27.	.	+ 14, 4.	.	
	16.	.	.	27. 5, 5.		28.	+ 24.	.	.	
Julius.	15.	.	.	27. 4, 0.	Julius.	17.	.	.	+ 7, 5.	NO. et NE. S.
	19. 21. 25.	.	27. 9, 67.	.		22. 25. 26.	.	+ 15, 9.	.	
	24.	28. 1, 7.	.	.		27.	+ 23, 4.	.	.	
Augustus.	10.	.	.	27. 5, 6.	Augustus.	5.	+ 22, 75.	.	.	NO. et SE. SO.
	20. 25. 28.	.	27. 9, 69.	.		10. 15. 20. 25.	.	+ 16.	.	
	31.	28. 0, 7.	.	.		28.	.	.	+ 6, 75.	



